CONSTITVTIONES
FRATRVM
CANONICORVM
REGULARIVM,
S. MARIÆ
Demetri de Vrbe de Pænitentia
BEATORVM MARTYRVM.
SVB REGVLA
SANCTI
AUGUSTINI,
Militantium.

Cum licentia Superiorum.

Anno Domini MDCCXXXI.

CRACOVIÆ.
Typis Jacobi Matyaszkiewic, S. R. M. Celsissimi, Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Episcopi Crac: Ducis Severiæ, Ordinarij Typogr:

Audi Præcepta quæ ego doceo te, ut faciens ea vivas. *Deuter: 4:*

Veram requiem jucundamq; guſtabis ſi ejus qui eam promiſit præcepta dilexeris. *S. Auguſtinus*

In Lege Domini gloriabitur. *Eccleſiaſtici 39.*

Lex DEI Charitas eſt. Gratia data eſt ut lex impleretur. *S. Augtſt: de Spir: & Lit:*

Beati qui cuſtodiunt & faciunt juſtitiam in omni tempore. *Pſalm 105.*

Omnes virtutum ſpecies uno juſtitiæ nomine continentur. *S Hieronimus;*

Hæc eſt uoluntas DEI. Sanctificatio veſtra. *1. Theſs: 4.*

EXHORTATIO
REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS
in Capitulo ſuo Generali Cracoviæ celebrato: ad Fratres ſui Ordinis.

Anno Domini MDCVIII. ipſo Die S. MICHAELIS ARCHANGELI.

Pontificatus Sanctiſſimi Domini
D. N. PAVLI
Divina Providentia PAPÆ V. Anno IV.

CVm Religionum omnium anima quædam & vita ſit legum obſervatio & diſciplina, Eratres manifeſtum eſt, quam ſolicitos eſſe oporteat omnes Religioſos, ut Majorum ſuorum Inſtituta Sanctiſsima, quæ ſemel amplexi ſunt, & ea ſe ſervaturos SACRAMENTO ſe obſtrinxerunt, inviolata ſemper omni ex parte conſerven-

tur. Dici enim vix poteſt quam facile homo etiam bene iam virtutibus inſtructus, à ſemel ſuſcepto auſterioris vitæ inſtituto deſciſcat, & eo ſenſim redeat, ut nihil præter habitum Religionis in eo agnoſcas. Facit id tum virtutis ipſius difficultas, tum mali dæmonis omnium bonorum hoſtis improbitas, tum pravarum cupiditatum ut perpetuo eradices, perpetuo repullulantium uberrima ſeges, tum Corporis noſtri cui ad indulgendum proni ſumus langvor, tum exempla qua domeſticorum, qua extraneorum improba, tum denique frequens & incauta cum profanis & vanis hominibus conſvetudo, ut vere illud dictum ſit ab AVGVSTINO: Nuſquam meliores eſſe homines, quam in mundo, ubi in perfectum incubuerint, & nuſquam deteriores, quam in Clauſtro ubi deficere inceperint. Hinc enim paulatim in Religioſorum Domos, licentia, diſſolutio, proprietas, inobedientia; aliaq; graviſſima flagitia, ac tandem Apoſtaſia ac Hæreſis irrumpunt, ſic ut vel ipſi talia domicilia ſuis moribus inimica tandem deſerant, vel ea in popinas, cauponas, & luſtra convertant. Vtinam vero

nihil

nihil horum ad noſtrum quoque Ordinem pervenisse gloriari nobis liceret; ut utſe reliqua habeant: illud mihi ingenuè, & cum bona veſtra venia fatendum eſt, non eum iam eſſe Ordinis Noſtri ſplendorem qui olim fuit, non tam in Cænobijs Fratrum frequentiam, non ea in ſingulis doctrinæ ac pietatis ornamenta, non eam Clauſtralis diſciplinæ obſervantiam, non eam denique apud homines commendationem. Licet voluimus; ad paucos redacti ſumus; Monaſteria, quædam penitus amiſimus; quædam ægre pauculis Fratribus in ſpeciem ea occupantibùs retinemus. Deploranda ſunt hæc nimium; ſed non minus illa, quæ in vita & moribus noſtris, ſi ad leges noſtras examinarentur reperiremus. Sanè nimium timeo, ne multa iſtinc exiſtant: ob quæ DEVS Iudex æquiſsimus meritas à nobis ingratitudinis & promiſsi non præſtiti pænas exigere poſſet, Illud in his miſerijs ſolatium eſt, quod corrigere ea quæ vitioſa ſunt, id quod nunc aggredimur nobis integrum eſt. Cui rei ut nemo obſtrepere audeat, ſed communis ac privati boni ſtudio ductus, qua ſibi qua Religi-

oni consulere in animum inducat, serio omnes in Domino monemus hortamur, ac precamur, illudq; aureum Divi Bernardi dictum in animis omnium esse cupimus: Si quid (inquit ille) in Religione ordinatur, quicunq; resistit, quicunque repugnat, plane cum Aegyptijs Israëlitici germinis parvulos necare conatur: imo cum Herode nascentem prosequitur Salvatorem. Et vero si nos DEO data fides & judicij severi timor parum moveat; pudore saltem hominum deberet, qui reliquas penè omnes Religiosorum virorum familias, ad pristinum suum vigorem & florem, vel iam redijsse, vel conniti conspicatur. Nos porro soli tam desides & abiecto animo erimus, quibus veternus & tenebræ ac sordes placeant? Veniant in mentem Sanctissimi Majores Nostri, quales vero eos fuisse putemus; quibus tot ampla, & splendida Templa, tot opulenta Monasteria constructa, tanti census & proventus annui attributi: ut cum amplissima qualibet alia in hoc Regno Religiosorum familia, rebus omnibus certare potuerint. Ac ne quis fortè vestrum in rebus domesticis cognitione

tione

tione dignissimis peregrinus existat, quoniam in hunc locum incidi, recensebo paucis, ubi, quando, & à quibus viris pleraque domicilia in hoc Regno Nobis erecta sint & attributa, quæ res id etiam in nobis efficient, ut Nostrum Ordinem, & leges ejus magis deinceps quam fortè hujusq; fecimus æstimare incipiamus. Postquam igitur Ordo Noster inspirante DEO Optimo Maximo ab ALEXANDRO IV. Romano Pontifice, ut Annales Mathæi à Miechow Canonici Cracoviensis, Cap. 54. lib. 3. testantur institutus est, incessit cupiditas, Serenissimum & pientissimum Principem BOLESLAVM Pudicum Cracoviensis & Sandomiriensis Terrarum Ducem ex Civitate Pragensi propositis amplis & opulentis fundationibus homines nostræ familiæ ex Italia evocare, id quod consensu Summæ Sedis est impetratum. Anno Domini 1257. Quo quidem Anno pridie Calend: Februarij hora tertiarum grandem terræ motum fuisse, idem author est, ita ut necesse haberet Princeps post ruinas Crac: novam Vniversæ Civitati formam imponere, & plateas in meliorem Ordinem redigere. Quo tempore nostra primum Religio (quam Cruciferorum, & Canonicorum Regularium, & S MARIÆ Demetri de Vrbe de Pænitentia Beatorum Martyrum sub Regula S. AVGVSTINI militantiū vocant) per ALEXANDRVM IV. Papā instituta est. Ejusq; Fratribus BOLESLAVS Pudicus Ecclesiam Sancti MARCI Evangelistæ Cracoviæ fundavit, sumptumq; simul cum loco pro ædificatione Ecclesiæ & Monasterij assignavit. Tandem vero secutæ sunt

 con.

confirmationes ejuſdem Ordinis, quarum Diplomata hic ſunt inſerta. Anno Domini 1295. à BONIFACIO VIII. Calendas Ianuarij in dictione Nona. Pontificatus illius Anno Primo Deinde ab ALEXANDRO VI. Anno D. 1497. Duodecimo Calendas Iulij. Pontificatus illius A. quinto. Demum à IVLIO II. Anno Incarnationis Dominicæ 1307. Quinto Calendas Iunij. Pontificatus illius, Anno Quarto. &c. Brevi vero Ordo hic Fratrum noſtrorum laboribus maxima incrementa cæpit habere. Nam mox per Poloniam & Lithvaniam Monaſteria quæ ſequntur ſunt erecta.

I. Monaſterium Sancti MARCI Evangeliſtæ Craci per BOLESLAVM Pudicum fundatum. Anno Milleſimo Ducenteſimo Quinquageſimo Septimo.

II. Eccleſia & Monaſterium Sanctæ MARGARETÆ in Libichova fundata. Anno Domini 1282.

III. Eccleſia & Monaſterium S. MARIÆ MAGDALENÆ in Muſsina. A. D. Milleſimo Quadrigenteſimo fundata, per *Sereniſsimũ* Regem Poloniæ CASIMIRVM.

IV. Monaſterium in Monte Tagoborza S. ISIDORI Confeſſoris fundata. Anno Dñi. Milleſimo Quadrigenteſimo per Nobilem Dominum Habdi de Roſtein.

V. Eccleſia & Monaſterium S. NICOLAI in Limanova fundata. A. D. 1528. per *Magnificum Dominum* ACHACIVM IORDAN.

VI. Eccleſia & Monaſterium in Dubno N. tum eius filia Eccleſia Hertlow: ac in Knurow & Slachinberk Diœceſ: Crac: Pontificatus olim *Sanctiſsimi Domin* D. BONIFACII IX. Anno ipſius Vndecimo.

VII. Ecclesia & Monasterium Sanctæ CRVCIS in Bystrzycá in Magno D. Lithvaniæ fundata Anno Dñi. 139. per *Serenissimum* VLADISLAVM IAGIELONEM Regem Poloniæ, &c. Diæcel. Vilnen:

VIII. Ecclesia & Monasterium SS. TRINITATIS in Oppido Regali Miedniki Diæces: Vilne: fundata etiam per *Serenissimum* VLADISLAVM Regem A. D. 1391.

IX. Ecclesia & Monasterium *Sanctissimæ* TRINITATIS in Thwerec Diæces: Vilnen: fundata per Nobilem NICOLAVM quondam Filium Nobilis GEORGII WAZGLOWIC. A. D. 1501. Inditione quarta die vero Saturni Vigesima Quarta Mensis Iulij. Pontificatus *Sanctissimi Domini* D. ALEXANDRI Divina Providentia PAPÆ VI. Anno ipsius Nono. Sunt & alia Monasteria in diversis partibus mundi Nostri Ordinis,

QVorum tot Monasteriorum, vix iam paucula, (dolendum) supersunt vitio nostro, si bene rem expendamus. Si enim nos Maiorum Nostrorum vestigijs insistentes, Statuta Nostra cum disciplinæ rigore servaremus, dubio procul & DEI idem auxilium ac benedictionem, quam maiores nostri hac in parte experti sunt, experiremur; & homines ob Sanctá vitam & conversationem nostram visam, melius ut fieri solet de nobis sentientes, tum ad nostrum cætum sese frequentes adiungerent, tūm suis operibus nos magis augerent non vero nostris ut iam fit manūs admoverent, quorum utrumque fieri videmus in aliis Ordinibus qui suarum Regularum obser-

obſervantiores exiſtimātur. Reſpiciamus ergo Nos quoque tandem aliquando noſipſos, & à veterno quo tam diu oppreſsi iacuimus excitemur, occaſionemq́; adhoc accomodatiſsimam divino munere nobis oblatam, obvijs ut aiunt ulnis amplectamur. En auſpiciis Sanctiſsimi Domini Noſtri PAVLI PAPÆ V. Cura item ac ſtudio *Illuſtriſsimi Domini* D. FRANCISCI SIMONETÆ, Epiſcopi Fulginatenſis &c. Nuncij Apoſtolici ad id excitamur & urgemur, ne deſimus nobis, ne amplius fabula & probrum hominum eſſe velimus: Sed conjunctis animis & judicijs, id cujus gratia huc convenimus perficiamus. Quod quidem ſi fecerimus inprimis conſcientijs noſtris miſere ob hanc remiſſam vivendi rationem, inquietis & gravatis, magnam tranquilitatem & ſolatiū afferemus. Deinde fundatorum ac benefactorum noſtrorum (qui nobis tanquā ueris DEI ſervis, & idoneis, pro ſuis peccatis, deprecatoribus tam multa contulerunt) expectationi reſpondebimus: Denique Ordinem celeberrimum noſtrum, Majoreſque noſtros clariſsimos ac Sanctiſsimos per nos degeneres non parum obſcuratos in lucem & ſplendorem priſtinum revocabimus. Id quod ut DEVS Optimus Maximus bonorumomnium Author, qui cœpit idem pro ſua clementia perficere dignetur, ferventiſsimis ab eo precibus poſtulemus.

INCI-

INCIPIT REGULA
SANCTI
AUGUSTINI
EPISCOPI.
De Charitate DEI & proximi.

CAPITULUM I.

ANte omnia Fratres Charissimi diligatur DEUS deinde proximus quia ista duo Præcepta sunt principaliter nobis data. Hæc igitur sunt, quæ ut observetis præcipimus. In Monasterio Constituti. Primum propter quod in unum estis Congregati, ut unanimes habitetis in domo Domini: & sit vobis anima una & cor unum in DEO, & non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia Communia, & distribuatur unicuiq; vestrum à Præposito vestro victus & tegumentum: Non æqualiter omnibus; quia non æqualiter valetis omnes, sed potius unicuique sicut cuique opus fuerit. Sic enim legitis in

Actibus Apostolorum. Quia erant illis omnia Communia, & distribuebatur unicuiq; sicut cuiq; opus erat.

Qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi sunt Monasterium, libenter velint illud esse Commune. Qui autem non habebant, non ea quærant in Monasterio, quæ nec foris habuere; sed tamen eorum infirmitati quod opus est tribuatur, etiãsi paupertas illorũ talis erat quando foris erant, ut nec ipsa necessaria poterant invenire. Tamen non ideo se putent esse felices quia invenerunt victum & tegumentum, quale foris invenire non poterant.

De Humilitate.

CAPITVLVM II.

NEque erigant cervicem, quia sociantur eis ad quos foris accedere non audebant; sed sursum cor habeant, & terrena ac vana non quærant. Ne incipiant esse Monasteria divitibus utilia, non pauperibus, si divites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur. Rursus etiam illi qui aliquid esse videbantur in sæculo, non habeant fastidio fratres suos; qui ad illam Sanctam Societatem ex paupertate venerunt. Magis autem studeant non de parentum divitum dignitate; sed de pauperum Fratrum Societate gloriari. Nec extollantur si Communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerint: nec de suis divitijs magis superbiant, quia eas Monasterio partiuntur, quam si eis in sæculo fruerentur. Alia quippe quæcunq; iniquitas in malis operibus exercetur ut fiant:

Su-

Superbia vero bonis operibus insidiatur ut pereant. Et quid prodest dispergendo dare pauperibus, & pauperem fieri cum anima misera superbior efficitur divitias contemnendo quam fuerat possidendo. Omnes ergo unanimiter & concorditer vivite, & honorate in vobis DEVM invicem, cuius Templa facti estis.

De Oratione & Jeiunio.

CAPITVLVM III.

ORationibus instate, horis & temporibus constitutis. In Oratorio nihil aliud agatur, nisi ad quod factum est, unde & nomē accepit: & si forte aliqui præter horas constitutas, si eis vacat orare voluerint; non eis sint impedimento, qui ibi aliquid agendum putaverint. Psalmis & Hymnis cum Oratis DEVM, hoc versetur in corde, quod profertur in voce. Et nolite cantare nisi quod legitis esse cantandum, Quod autem non ita scriptum est ut cantetur non cantetur. Carnem vestram domate iejunijs, abstinentia escæ, & potus quantum valetudo permittit. Quando autem aliquis non potest jejunare, non tamen extra horam prandii aliquid alimentorum sumat, nisi cum ægrotat.

De Refectione utriusq; hominis.

CAPITVLVM IV.

CVm acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis

vobis secundum consvetudinem legitur; sine tumultu & contentionibus audite: ne solæ vobis fauces sumant cibum; sed & aures esuriant DEI Verbum. Qui infirmi sunt ex pristina consvetudine, si aliter tractantur in victu Non debet aliis molestum esse, nec injustum videri eis, quos fecit aliqua consvetudo fortiores, nec illos feliciores putent, quia sumunt, id quod non sumunt ipsi; sed sibi potius gratulentur, quia valent, quod non valent illi. Et si eis qui venerunt ex moribus delicatioribus ad Monasterium aliquid alimentorum, vestimentorum, operimentorum datur quod alijs fortioribus, & ideo felicioribus non datur; Cogitare debent quibus non datur, quantum de sua sæculari, vita illi ad istam descenderint, quamvis usq; ad aliorum qui sunt corpore firmiores frugalitatem pervenire nequiverint, nec debent velle omnes quod paucos viderint amplius; non quia honorantur, sed quia tolerantur accipere, ne contingat detestanda peruersitas, ut in Monasterio ubi quantum possunt fiunt divites laboriosi, fiant pauperes delicati.

De Infirmis.

CAPITVLVM V.

SAné quemadmodum ægrotantes necesse habent minus accipere ne graventur: ita & post ægritudinem sic tractandi sunt, ut citius recreentur, etiamsi de humillima sæculi paupertate venerint: qanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod divitibus anterior consve-

tudo.

tudo. Sed cum vires priſtinas recuperaverint, redeant ad feliciorem conſvetudinem: Quæ famulos DEI tanto amplius decet, quanto minus indigent, nec cibi eos teneat voluptas iam vegetatos, quos neceſsitas levarat infirmos. Illos æſtiment ditiores, qui in ſuſtinenda parcitate fuerint fortiores. Melius eſt enim minus egere, quam plus habere.

De Habitu exteriori & interiori.

CAPITVLVM VI.

NOn ſit notabilis habitus veſter, nec affectetis veſtibus placere; ſed moribus: Quando proceditis ſimul ambulate. Cum veneritis quo itis; ſimul ſtate. In inceſſu, ſtatu, habitu, in omnib⁹ motibus veſtris nihil fiat, quod cuiuſquam offendat aſpectum; ſed quod veſtram deceat Sanctitatem. Oculi veſtri & ſi iaciantnr in aliquam fæminarum, in nullam figantur. Neque enim quando proceditis, fæminas videre prohibemini; ſed appetere, aut ab ipſis appeti velle, criminoſum eſt. Nec ſolo tacito, affectu; ſed affectu & aſpectu quoq; appetitur, & appetit concupiſcentia fæminarũ. Nec dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus, impudici cordis eſt nuncius. Et cum ſe invicem ſibimet etiam tacente lingua conſpectu mutuo corda nunciant impudica, & ſecundum concupiſcentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam

intactis ab immunda violatione corporibus, fugit ipsa castitas de moribus. Nec putare debet, qui in fæminam figit oculum, & illius in seipsum dirigit fixum, ab aliis se non videri, videtur omnino, & à quibus se videri non arbitratur, sed etsi lateat, ut à nemine hominum videatur; quid faciet de illo desuper inspectore, quem latere nihil potest. An ideo putandus est non videre, quia tanto videt patientius, quanto sapientius? Illi ergo Vir Sanctus timeát displicere, ne velit fæminæ male placere. Illum cogitet omnia videre, ne velit fæminæ male videri. Illius namq; & in hac causa commendatus est timor, ubi scriptum est; Abominatio est Domino defigens oculum. Quando ergo simul estis in Ecclesia, & ubicunq;, fæminæ sunt invicem, vestram pudicitiam custodite: DEVS enim qui habitat in vobis, etiam custodiet vos ex vobis.

De Correctione Fratrum.

CAPITVLVM VII.

ET si hanc de qua loquor oculi petulantium in aliquo vestrum animadverteritis: statim admonete, ne cæpta progrediãtur; sed de proximo corrigãtur. Si autem & post admonitionem iterum, vel alio quocunq; die id ipsum eum facere videritis, iam velut vulneratum sanandum prodat, quicunq; hoc poterit invenire. Prius tamen est alteri vel tertio demonstrandum, ut duorum,

vel

vel trium posſit ore convinci, & competenti ſeveritate coerceri. Nec vos judicetis eſſe malævolos, quando hoc indicatis: Magis quippe innocentes non eſtis, ſi fratres veſtros, quos judicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus habet in corpore; quod velit occultari, dum timet ſecari: nonne crudeliter à te ſileretur; & miſericorditer indicaretur? tanto ergo potius debes manifeſtare, ne deterius putreſcat in corde. Sed antequam alijs demonſtretur, per quos convincendus eſt, ſi negaverit; prius Præpoſito debet oſtendi (ſi admonitus neglexerit corrigi) ne forte ſecretius correctus posſit non innoteſcere cæteris. Si autem negaverit, tunc neganti adhibendi ſunt alij etiã teſtes ut coram omnib⁹ posſit non ab uno teſte argui; ſed à duobus vel tribus convinci. Convictus vero ſecundum Præpoſiti vel Presbyteri ad cujus diſpenſationem perrinet arbitrium, debet emendatoriam ſubire vindictam: quam ſi ferre recuſaverit, etiamſi ipſe non abſceſſerit, de veſtra Societate proijciatur. Non enim & hoc fit crudeliter; ſed miſericorditer: ne contagione peſtifera plurimos perdat. Et hoc quod dixi de oculo non figendo; etiam in cæteris inveniendis, prohibendis, indicándis, convincendis, judicandiſqué peccatis diligenter & fideliter obſervetur, cum dilectione hominum, & odio vitiorum. Quicunque autem in tantum progreſſus fuerit malum, ut occultè ab aliquo literas; vel quodlibet munus acceperit: Si hoc ultro confitetur, parcatur illi, & oretur pro eo. Si autem deprehen-

prehenditur atqué convincitur: Secundum arbitrium, Presbyteri; vel Præpositi gravius emendetur.

De Communi rerum Custodia.

CAPITVLVM VIII.

VEstes vestras in unum habeatis sub uno custode vel duobus, vel quod sufficere potuerint ad eas excutiendas, ne à tinea lædantur. Et sicut pascimini ex uno celario; sic induamini ex uno vestiario. Et si fieri potest: non ad vos pertineat, quod vobis indumentum, pro temporum congruentia proferatur: utrum hoc recipiat unusquisq; quod deposuerat; an aliud quod alter habuerat? dum tamen unicuiq; prout cuiq; opus est non negetur. Si autem hinc inter vos contentiones & murmura oriuntur, cum conqueritur aliquis deterius se, accepisse, quam prius habuerat; & indignum se esse quod non ita vestiatur, sicut alius frater vestiebatur: hinc vos probate, quantum vobis desit in illo interiori Sancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis. Tamen si vestra toleratur infirmitas, ut hoc recipiatis, quod deposueratis: in uno tamen loco, sub Communibus custodibus habete quod ponitis. Ita sane ut nullus sibi aliquid operetur: Sed omnia vestra in unum fiant, maiori studio, & frequentiori alacritate, quam si vobis singuli feceritis propria. Charitas enim de, qua scriptum est. quod non quærit quæ sua sunt, sic intelligi-

telligitur, quia communia proprijs, non autẽ propria communibus anteponi. Et ideo quanto amplius rem communem quam propria vestra curaveritis, tanto vos amplius proficere noveritis: ut in omnibus, quibus utitur transitora necessitas supereemineat, quæ permanet charitas. Consequens ergo est, ut cum quis filijs suis, aut aliqua necessitudine ad se pertinentibus, in Monasterio constitutis aliquam contulerit vestem, sive quodlibet aliud inter necessaria deputandum: non occultè recipiatur; Sed sit in potestate Præpositi, ut in rem Communem redactum cui necesse fuerit peæbeatur. Quodsi aliquis rem sibi collatã celaverit: furti judicio condemnetur.

De Munditia Corporũ & Vestium.

CAPITVLVM IX.

INdumenta vestra secundum arbitrium Præpositi laventur, sive à vobis, sive à fullonibus; ne interiores animæ sordes contrahat mundæ vestis nimius appetitus. Lavacrum etiam corporis, cum infirmitatis necessitas cogit, minime denegetur, fiat sine murmure de consilio medici: Vt etiamsi nolit, iubente Præposito fáciat, quod faciendum est pro salute. Si autem velit, & forte non expedit suæ cupiditati non obediatur. Aliquando enim etiamsi noceat, prodesse creditur quod delectat. Deniq; si latens est dolor in corpore famulo DEI, dicenti, quid sibi doleat, sine dubitatione credatur. Sed

tamen utrum ſanando illi dolori, quod detectat expediat. Si non eſt certum, medicus conſulatur. Nec eant ad balnea, ſive quocunque ire neceſſe fuerit minus quam duo vel tres: & ille qui habet aliquo eundi neceſsitatẽ, cum quibus Præpoſitus iuſſerit ire debet. Ægrotantium cura ſive poſt ægritudinem reficiendorum, ſive aliqua imbecillitate, etiam ſive febribus laborantium, uni alicui debet iniungi, ut ipſe de cellario petat, quod cuiq; opus eſſe perſpexerit. Sive autem qui cellario, ſive qui veſtibus, ſive qui codicibus præponuntur, ſine murmure ſerviant fratribus ſuis. Codices certa hora ſingulis diebus petantur: extra horam qui petierit non accipiat. Veſtimenta verò & calceamenta, quando indigentibus fuerint neceſſaria, dare non differant, ſub quorum cuſtodia ſunt, quæ poſcuntur. Lites autem nullas habeatis, aut quàm celerrime finiatis, ne ira creſcant in odium & trabem faciat de feſtuca, & animam faciat homicidam. Sic enim legitis: Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.

De Venia poſtulanda & offenſa remittenda.

CAPITVLVM X.

QVicunque ergo convicio, vel maledicto, vel etiam criminis objectu aliquem læſerit, meminerit ſatisfactione quàm citius curare quod fecit, & ille qui læſus eſt, ſine

sine disceptatione dimittere. Si autem invicem se læserint, invicem sibi debita relaxare debebunt; propter orationes vestras, quas utique quantò crebriores habetis, tanto sanctiores habere debetis Melior est enim qui quamvis ira sæpè tentatur, tamen impetrare festinat, ut sibi dimittatur, cui se fecisse agnoscit injuriam, quàm qui tardius irascitur, & ad veniam petendam tardiùs inclinatur. Qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, sine causa est in Monasterio, etiamsi inde non proijciatur. Proinde vobis à verbis durioribus parcite, quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, unde facta sunt vulnera. Quando autem necessitas disciplinæ in moribus coercendis, dicere vos dura verba compellit, etiamsi ipsi vos modum excessisse sentitis, non à vodis exigitur, ut vobis à subditis veniam postuletis, ne apud eos, quos oportet esse subjectos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur authoritas. Sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui novit eos, quos plus justo fortè corripitis, quantâ benvolentia diligatis. Non autẽ carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio.

De Obedientia.

CAPITVLVM XI.

PRæposito tanquam Patri obediatur: multò magis Presbytero, qui omnium vestrum curam gerit. Vt ergo

cuncta ista serventur, & si quid servatum fuerit, non negligẽter prætereatur, sed ut emendandum corrigẽdumve curetur: ad Præpositum præcipuè pertinebit, ut ad Presbyterum (cujus est apud vos major authoritas) referat, quod modum vel vires ejus excedit. Ipse verò qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate serviente felicem. Honore coram vobis Prælatus sit, timore coram DEO substratus sit pedibus vestris. Circa omnes seipsum bonorum operum præbeat exemplum. Corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, sustineat infirmos, patiens sit ad omnes, Disciplinam libens habeat, metuendus imponat, & quamvis utrumque sit necessarium, tamen à vobis plus amari appetat, quàm timeri, semper cogitans DEO se pro vobis redditurum rationem. Vnde vos magis obediendo, non solum vestri, sed etiam ipsius miseremini, qui inter vos quanto in loco superiori, tantò in periculo majori versatur. Donet Dominus, ut observetis hæc omnia, tanqvam spiritualis pulchritudinis amatores, & bono Christi odore de bona conversatione fragrantes, non sicut servi sub lege, sed sicut liberi, sub gratia constituti.

De Iugi meditatione Regulæ.

CAPITVLVM XII.

VT autem vos in libello hoc, tanquam in speculo possitis inspicere, ne per oblivionem aliquid negligatis:

semel

ſemel in ſeptimana vobis legatur: & ubi vos inveneritis ea, quæ ſcripta ſunt, facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori: ubi autem ſibi quicunque veſtrûm viderit aliquid deeſſe, doleat de præterito, caveat de futuro orans, ut ſibi debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur.

INCIPIVNT CONSTITVTIONES, *Fratrũ Canonicorum Regularium* S. MARIÆ *Demetri de Vrbe ſub Regula* S. AVGVSTINI *de Pœnitentia Beat: Martyrum.*

QVoniam ex præcepto Regulæ iubemur habere cor unum & animam unam in Domino: iuſtum eſt, qui ſub una Regula & unius profeſsionis voto vivimus, uniformes & in obſervãtia Canonicæ Religionis inveniamur: quia unitatem quæ interius ſervanda eſt in cordibus fovet & repræſentat uniformitas exterius ſervata in moribus. Quod profectò eo competentius & plenius poterit obſervari, ſi ea quæ agenda ſunt ſcripto fuerint commendata: ſi in omnibus qualiter ſit vivendum ſcriptura teſte innoteſcat. Sed immutare, vel ad-

 mus.

dere, vel minuere nulli quidquam propria virtute liceat; ne si minima negligimus paulatim ad maiora deflectamus. Ad hoc tantum in suo Conventu Prælatus dispensandi cum fratribus habeat potestatem, cum sibi alioquin videbitur expedire: præcipuè in his, quæ studium vel prædicationem, vel animarum fructum videbuntur impedire, Cum Ordo noster specialiter ad Parochias, & animarum Salutem ab initio noscatur institutus fuisse, & studium nostrum debeat ad hoc principaliter tendere, ut proximorum animabus possimus utiles esse, maxime cum animarum cura nostro Ordini sit annexa. Priores etiam utantur dispensationibus, sicut alij Fratres. Vt ergo unitati & paci totius Ordinis provideamus: Volumus & declaramus, ut Constitutiones nostræ non obligent nos ad culpam, sed ad pænam, nisi propter præceptum vel contemptum, & ut multitudo Constitutionū vitetur, prohibemus ne de cætero aliquid statuatur: nisi per duo Capitula continuo fuerit approbatum, & tunc in tertio Capitulo immediatè sequente potest confirmari, vel deleri, sive per Priores Provinciales, sive per Definitores, ubicunque illud Tertium Capitulum celebretur. Interpretationes autem Regulæ vel Constitutiones factæ à Generali Capitulo, non habeant vim Constitutionum, nisi per Tria Capitula approbentur. LIBRVM AVTEM ISTVM diligenter conscripsimus, in quo tres Distinctiones annotavimus.

Pirma

Prima Distinctio Constitutionum continebit.

CAPITVLA XVI.

Quorum Primum est.

De Officio in Ecclesia.
De Inclinationibus.
De Confessione.
De Communione.
De Suffragijs Mortuorum.
De Clausura Conventuum.
De Jejuniis.
De Disciplina.
De Cibo.
De Collatione.
De Rasura.
De Lectis & Celis.

De

Secunda Distinctio Constitutionum.

De

Tertia Diſtinctio Conſtitutionum.

De Officio in Eccleſia.

CAPITVLVM I.

AVdito primo ſigno ſurgant Fratres: ad ſecundum vero; chorum intrent, & dicant matutinas de Beata MARIA Virgine, ante matutinas diei pro tempore; Omnes alias horas Beatæ Virginis poſt horas Canonicas dicant; exceptis Veſperis quas ante Veſperas diei dicimus. Miſſam autem & omnes horas Canonicas, cum horis Beatæ MARIÆ Virginis ſimul audiant Fratres noſtri, niſi

cum

cum aliquibus Prælatûs aliter dispensare voluerit. In horis cantandis hic modus servetur: Non protrahendo vocem in pausâ, vel in fine versus; sed breviter & succinctè terminetur. Hoc etiam magis & minus pro tempore servetur. Totum Officium divinum, tam diurnum quam nocturnum, secundùm Ordinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ faciant Fratres nostri: & hæc volumus ab omnibus uniformiter observari; ita quod nulli liceat de cætero aliquid innovare. Laici autem & conversi hunc modum habeant in Officio Divino persolvendo: Pro Matutinis tam Beatæ MARIÆ, quam diei dicant XXV. Pater noster. & Ave MARIA, & pro laudibus X. pro qualibet alia hora tam diei quam Beatæ Virginis, Septem Pater. & Ave MARIA, Pro Completorio tam diei quam Beatæ MARIÆ Virginis, Quinque Pater noster, & Ave MARIA, una cum Credo concludendo. Fratres nostri habeant unam campanam, sive excitatorium in dormitorio ad omnes horas. Item Hebdomadarius, sive in Choro, sive in Processione Serica cappa utatur. Respon. Patres: Placet.

De Inclinationibus.

CAPITVLVM II.

FRatres cum venerint in Chorum inclinent Caput ante Altare profunde, & cum ad sedes suas venerint, facto signo à Prælato vel Hebdomadario flexis genibus, vel

inclinati profundè pro tempore decantent Pater noſter. Iterum facto ſigno à Prælato, vel Hebdomadario, ſurgant. Hora itaqué devotè incepta, verſi ad Altare, muniant ſe ſigno Crucis, & à Gloria Patri inclinet ſe Chorus contra Chorum profundè uſque ad Sicut erat. Hoc etiam faciendum eſt, quotieſcunq́ Pater noſter, aut Gloria Patri dicitur, excepto, quando in Miſſa cantatur Pater noſter, non inclinamus. Ad gratiarum actiones, & Orationem: Retribuere, inclinare debemus. Idem faciendum eſt ad primam Collectam in Miſſa, & poſt Communionem, & in ſigulis horis ad omnes Collectas, tam B. Virginis quam diei. Diebus vero ferialibus ad hæc omnia, & ad preces omnium horarum flectimus genua, ad Gloria Patri, quoties in inchoatione Horarum dicitur, & ad extremos verſus Hymnorum, & in Te DEUM laudamus, ad Te ergo quæſumus, ad penultimum verſum Cantici: Benedicité. Inclinamus uſque ad genua. Et quando cantatur: Gloria in excelſis DEO. Adoramus te, Gratias agimus tibi, Suſcipe deprecationem noſtram, & in Credo ad Miſſam; ad ex MARIA Virgine, & Homo factus eſt, & in Benedictione lectionis, & in Capitulo coram Priore aliquem ex Fratribus corripiente, & in omni loco, quando nominatur Nomen IESVS, Nomen Beatæ MARIÆ Virginis, & Beati AUGUSTINI Patris noſtri, & alicujus Patroni Eccleſiæ noſtræ. Hora itaque incepta modo prædicto poſtquam ad Gloria Patri, poſt venite ſe inclinaverint, ſtet Chorus contra Chorū. Deinde ad primum Pſalmum ſedeat unus Chorus, ſtet alter:

alter: ad secundum verò versum idem stet, ut sedeat alter Chorus, & sic alternent, usque ad Laudate, & sic faciant ad omnes Horas. Finita autẽ lectione in Matutinis, nisi fiat Officium de mortuis: Ille qui legit in medio Chori inclinationem faciat. In inclinationibus vero conformemur moribus eorum ad quos inclinamus. Porro ad Veni Sancte Spiritus. Adiuva nos DEVS salutaris noster, &c. Ad Salve Regina, & alias Antiphonas B. Virginis semper flectimus genua, præterquam in diebus Dominicis, à primis Vesperis Sabbati, & toto tempore Paschali, Hebdomadario; tantum ad Orationem surgente. In ferialibus vero diebus in Missa flectimus genua à Sanctus usque ad Agnus DEI. In Festis vero iii. IX. lectionum flectimus genua ab elevatione Corporis Christi, usque ad Pater noster. &c. Quando Prior iniunxerit aliquam Communem Orationem inclinent omnes, Similiter faciant omnes, quibus aliquid facere vel dicere iniunxerit. Si autem aliqua Obedientia vel Officium, vel Ministerium aliquod cuivis iniunxerit; humiliter se inclinans suscipiat quod iniunctum fuerit ei. Quando etiam fratribus quidpiam à Priore tribuitur, profundè inclinantes, Benedictus Dominus in donis suis, & Sanctus in omnibus operibus suis, dicant. Resp. Patres, Placet.

De Confessione.

CAPITVLVM III.

FRatres nostri nulli extraneo Sacerdoti, sive sit Religiosus,

ligiosus, sive Sæcularis confiteantur, Si copiam Sacerdotum nostri Ordinis habere potuerint. Item statuimus, ut non tantum Prior Generalis, sed quilibet Prior Provincialis localis eligat & assignet in quolibet Conventu duos Patres nostri Ordinis, si commodè illos habere potuerit, qui Fratrum Confessiones audiant; præter extraordinarios, quos etiam haberi præcipimus etiam alterius religionis approbatos ab Ordinario. Fratres nostri faciant Confessiones illis temporibus, ut infra dicetur, de Communione Fratrum. Respon. Patres. Placet.

De Communione.

CAPITVLVM IV.

FRatres Nostri Ordinis tam Novitij, quam Professi, Clerici Laici, Conversi, sequentibus diebus in anno Sacratissimā Communionem simul suscipere debent, nisi de licentia Prioris, propter aliquam rationabilē causam quempiam abstinere contingat. Videlicet in omnibus primis Dominicis anni: in prima Dominica Adventus, in die Nativitatis Domini nostri IESV CHRISTI, in omnibus Festivitatibus Beatæ MARIÆ Virginis, in omnibus Dominicis Quadragesimæ, Feria Quinta in Cæna Domini, in Ascensione Domini, in Die Sancto Pentecostes, in Festis omnium Apostolorum, in Festo Sancti Patris nostri AVGVSTINI, in Festo Sancti Michaelis Archangeli, in Solennitate Omnium Sanctorum. Illis autem

tem diebus Superior post Matutinum faciat Absolutionē Generalem, pout in Officio Ordinis continetur, & postea eant ad Confessores suos delectos. In omnibus diebus Communionis generalis omnes Fratres vel celebrent, vel Communicent, & post celebrationem, vel Communionem genibus flexis dicant Orationem: DEus omnium fidelium Pastor & Rector famulum tuum N. quem Pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, aut Orationem Dominicam, si prædictam nescieverint pro Conservatione Status Sanctæ Matris Ecclesiæ, ac Romani Pontificis pro tempore existentis, & tunc ex gratia vel Concessione Sedis Apostolicæ plenariam peccatorum omnium suorum Indulgentiam singulis diebus prædictis consequentur. Respond: Patres: Placet.

De Suffragijs Mortuornm.

CAPITVLVM V.

A Festo Sancti Dionysij usque ad Adventum pro Anniversario Fratrum vel Familiarium receptorum per literas ad Beneficia Ordinis, Clericus Psalterium, Sacerdos tres Missas, Laici Quinquaginta Pater noster, dicant: Idem faciat quilibet Fratrum pro defuncto Patre sui Conventus, & idem fiat per totum Ordinem pro Priore Generali, & Comprovincialibus, pro Priore Provinciali defuncto, Idem etiam fiat per totum Ordinem pro Deffinitore Generalis Capituli, vel Socio ejus, & pro Electo-

Electoribus Prioris Generalis, vel Socio Prioris Provincialis, ad Capitulum Generale. Si aliquem in via mori contigerit. Idem etiam fiat pro Visitatore ab omnibus, quos visitare debet, si in Visitatione moriatur: aut in via in quacunq; Provincia quilibet Fratrum celebret tre Missas, Clericus X. vicibus Septem Psalmos Pænitentiales, & quilibet, Conversus XXX. vicibus Pater noster dicant, & quilibet, Conventus XXX. Missas. In Communi Anniversarium Patrum & Matrum, tertia die post Purificationem B. MARIÆ. Anniversarium Benefactorum & Familiarium sequenti die post Octavam Beati AVGVSTINI; Anniversarium verò Fratrum sequenti die post Festum Beati Dionysij est faciendum, Fratres vero numerum Missarum non omittant. Respond: Patres - Placet.

De Clausura Conventuum.

CAPITVLVM VI.

CVstodia Conventus debet injungi tali Fratri, Clerico, Laico, vel Converso: qui quoad fieri potest sit maturæ ætatis, exemplaris, de nullo vitio suspectus, prudens, ac mitis in responso, qui nemini multiplicibus quæstionibus fastidio sit, nec indiscreta collocutione commoveat, qui scandalizatos sciat placare. Portam semper teneat clausam, non discurrat per domum, sed ibi continuus resideat, nisi forte ex rationabili causa. Cum pulsatur ad portam, cito debet adese, introducatq;

qui

qui vero non ſunt introducendi maneant prope portam, & ibi vocentur qui ſunt vocandi cum licentia Superioris. Caveat autem Oſtiarius, ne Fratres in ſilentio hora debita manentes vel exiſtentes in Choro ad divina ſeu in Scholis ad lectiones vel diſputationes, aut in Refectorio hora comedendi, vel in Capitulo ſolicitet ad exeundum: nec licentiam à Priore petat; niſi neceſsitas fuerit magna In prima porta Monaſterij, retineatur tabella, in qua ſcripta ſunt nomina Fratrum cum punctis, quibus Fratres qui egrediuntur è Monaſterio, ſemetipſos ſignare posſint. Claves Monaſterij tradantur ſingulis noctibus Priori. Ad Oſtiarium pertinet, Communes ſecundùm poſsibilitatem Domus pauperibus elèèmoſynas elargiri. Mulieribus tantum Eccleſia exterior pateat, quæ etiam non ſemper de die ſit aperta: Sed à prima Miſſa uſq; ad ultimam, & à primo ſigno ad Veſperas uſquè ad Occaſum Solis. Extra Confeſsionem Fratres cum Mulieribus loqui non audeant. Statuimus ut nullus ex Fratribus; tam Prælatus quam ſubditus audeat mulierem cujuſcunquè ſtatus gradus, Ordinis, Conditioniſquè ſit, in Monaſterium introducere, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, ac privationis Officiorum, quæ in præſentia obtinebunt. Procurator & Fratres alij, cum ad procurandum neceſſaria Fratribus vadunt, poterunt præſente Socio & vidente Socio de hujuſmodi cum muliere ſola loqui: ita tamen quod cum una eademquè muliere frequens non ſit talis collocutio. Inſuper ex omni parte ſtudeant Officiales noſtri mulierum introitionem ſub eadem pœna ſupraſcripta. Reſpond. PP. Placet.

De Jejuniis.

CAPITVLVM VII.

A Pascha, usque ad Adventum Domini reficiantur bis Fratres, exceptis diebus Rogationum, & omnibus Feriis sextis, & vigilia Pentecostes, jejuniis Quatuor temporum, Vigilia Sanctorum, Ioannis Baptistæ, Petri & Pauli, Iacòbi, Laurentij, Assumptionis Beatæ MARIÆ Virginis, & Nativitatis ejusdem, Augustini, Bartholomæi, Mathæi, Simonis & Iudæ, & Vigilia Omnium Sanctorum, ab Adventu autem Domini continuum tenebimus Iejunium usque ad Nativitatem Domini. Per totam autem Quadragesimam jejuniis, Quatuor temporum, Andreæ, & omnibus Feriis Sextis (nisi dies Nativitatis Domini, ea die venerit) quadragesimali utimur cibo: nisi cum aliquo propter laborem dispensetur, vel in locis in quibus aliter comederetur, vel nisi præcipuum festum fuerit, Itinerantes tamen bis refici possunt: nisi in Adventu & Iejuniis Principalibus ab Ecclesia constitutis. Feria Secunda & Tertia post Quinquagesimam, tam domi quam foris quadragesimali utimur cibo & jejunamus. In Parasceve vero per totum diem in pane & aqua ubique abstinemus.

De Disciplina.

CAPITVLVM VIII.

BOnum etiam ac salutare: ut non solum jejuniis macerentur

rentur corpora noſtra; ſed & diſciplinis, quæ debent abſolvi ad memoriam, & imitationem paſsionis Salvatoris noſtri, qualibet Feria Sexta non impedita Officio duplici ac ſemiduplici, tempore æſtivali in Eccleſia, tempore vero Hîemali in Refectorio, ante horam ſilentii ſecrete habentes præ oculis, Fratres, propinquos, ac Benefactores noſtros defunctos ope noſtra indigentes, ac per eandem diſciplinam peccata propria delentes Pſalmiſta hortante: Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta.

Hora ergo competenti detur ſignum fratribus campana per dormitorium. Congregatis ergo Fratribus in Templum, adorato Euchariſtiæ SACRAMENTO, ac deoſculata terra, Superior dicat: Adjutorium noſtrum &c. ℟. Qui fecit. &c. quo finito dicat: Fratres, præparate corda veſtra Domino: Conſcientias veſtras ſolvite diſcutiendo peccata commiſſa cum lacrymis recogitando, humiliq; contritione veniam à Domino petendo, Spiritum ab omnibus mundi curis ſegregatum pura intentione ad Dominum dirigendo. Per eundem CHRISTVM Dominum noſtrum. ℟. Amen.

DEinde Primò facient examen conſcientiæ cum diſcurſu mentali. Quo finito, Superior dato ſigno, ac per orationem compunctivam, debita ex materia aplicando ſermonem ad piè recolendam Paſsionem Salvatoris noſtri. Qua finita, Fratres jacebunt proſtrati dicentes Pſalmum: De profundis. &c. Quo finito, dicat Superior Fratres, apprehendite diſciplinam ne quando iraſcatur

tur Dominus, quod carnem veſtram exemplo unigeniti ſui non mortificaveritis, recolite quæſo flagella & cruciatus: quæ pro nobis dulciſsimus Rex noſter CHRISTVS ſuſtinuit; eiuſq; amore animas veſtras libenter humiliate. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen. Deinde Superior incipiat Antiphonam. Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra. Pſal. Miſerere mei Deus. Quo finito, Repetitur Antiphona: Ne reminiſcaris. &c. Poſtea dicantur Litania de Nomine IESV. Quibus finitis dicuntur verſus.

Oremus pro Pontifice noſtro, N.

℣. Dominus conſervet eum, &c.

℣. Domine ſalvum fac Regem noſtrum. ℟. Et xaudi nos. &c. ℣. Pro R. P. G. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius &c. Pro univerſitate noſtra. ℣. Salvos fac ſervos tuos. ℟. Deus meus. &c. Pro Benefactoribus vivis. ℣. Retribuere dignare. &c. Pro Fratribus, propinquis, & benefactoribus defunctis. ℣. Requiem æternam dona eis Domine. &c. Pro venia peccatorum. ℣. Domine non ſecundum peccata noſtra facias nobis. ℟. Neque ſecundum ſe. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

O R A T I O.

DEVS omnium fidelium Paſtor & Rector: famulum tuum N. quem Paſtorem Eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti. propitius reſpice: da ei quæſumus verbo & exem-

plo

plo quibus præest proficere; ut ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempiternam.

OMnipotens sempiterne DEVS, qui facis mirabilia magna Solus, prætende super famulum tuum & super congregationes illi comissas Spiritum gratiæ salutaris, & ut in veritate tibi complaceat perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde. Per eundem Dominum.

QVæsumus omnipotens DEVS, ut famulus tuus N. Rex noster qui tua miseratione suscepit regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus, & vitiorum monstra devitare; & ad te qui via & veritas es gratiosus ualeat pervenire.

DEfende quæsumus Domine Beata MARIA semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam, & toto corde tibi prostratam, ab hostium propitius tuere clementer insidijs.

INeffabilem nobis Domine misericordiam clementer ostende, ut simul nos & à peccatis omnibus exuas; & à pœnis, quas pro his meremur eripias.

PRætende Domine famulis tuis benefactoribus nostris dexteram cælestis auxilii: ut te toto corde perquirant; & quæ dignè postulant consequi mereantur.

DEVS, veniæ largitor, & humanæ salutis amator, quæsumus clementiam tuam: ut nostræ congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt; Beata MARIA semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuæ beatitudinis consortiun pervenire concedas.

De Cibo.

CAPITVLVM IX.

HOra competenti ante prandium vel cænam ad Refectorium paucis ictibus cymbalum pulletur, ut Fratres ad refectionem venire non tardent: post modum pulsetur diutius, si eibus paratus est; alioquin non pulsetur nisi paratus sit, ablutis vero manibus Prior nolam pulset Refectorii, & tunc Fratres ingrediantur, quibus ingressis dicat: Benedicite, qui dicit versiculos, & Conventus prosequatur benedictionem. Deinde Lector: Iube Domne &c. &c. Sedentibus Fratribus ad mensam, Lector legat aliquid de Scriptura Sacra pro tempore, vel Constitutionum, vel Regulæ, Servitores autem incipiant à Senioribus videlicet à mensa Prælati ad inferiores descendentes. Nullus Fratrum præsentium à prima mensa absit, præter servitores & Custodes, nisi de licentia, quotquot autem remanserit comedant in secunda mensa, ita ut tertiam facere non oporteat. Nulla fiat pitantia Servitoribus vel ministris, quæ non fit Conventui, nisi sint infirmi, vel minuti, Frater vero nullus mittat fratri pitantiam, excepto Priore, sed sibi datum potest dare sedenti à dextris & à sinistris. Priores comedant in Refectorio & cibariis Conventus sint contenti: Similiter & omnes alij Fratres; nisi cum quibus Prior dispensaverit ob aliquam causam; ut extra Conventum aliquando comedant. Pulmenta nostra in nostris Con-

venti-

ventibus Die Dominica Feria Tertia & quinta lagimine vel carnibus condiantur. Secunda vero & quarta Feria, & die Sabbati butyro, vel caſeo ſint condita: niſi dierum iſtarum aliquod jejunium ſtatutum ab Eccleſia intervenerit. Fratribus vero noſtris extra Clauſtrum: & in via poſitis de omnibus quæ eis à Chriſti fidelibus apponentur liceat manducare. Frates noſtri, tam Priores quam alij in locis, ubi Conventum habemus: niſi cum Epiſcopo, vel in domibus Religioſorum, vel ob aliquam cauſam neceſſariam; & hoc raro extra clauſtrum comedere non præſumant. In ſingulis diebus, ſi fieri poteſt duo cocta pulmenta habeant, poterit autem Prior ſuperaddere, prout opus eſſe judicaverit, & facultas permiſerit. Si quis juxta ſe ſedenti videt aliquid deeſſe, de Communi requirat à ſervitore. Si quis ex ſervitoribus, vel comedentibus ſerviendo, vel comedendo offenderit, ſurgentibus Fratribus veniam petat, & facto ſigno à Prælato redeat ad locum ſuum. Poſt prandium, dicto à Lectore: Tu autem Domine miſere nobis. Omnes ſurgant á menſa, & Hebdomadarius proſequatur ulterius Gratiarum actiones.

De Collatione.

CAPITVLVM X.

TEmpore competenti Sacriſta ad Completoriũ ſignum faciat: poſtea Refectarius pulſet. Deinde fratribus venien-

venientibus, legat in Refectorio. Lector præmisso: Iube Domne, & sequitur benedictio: Noctem quietam. Infra lectionem Poterunt bibere factosigno à Priore, & dicto Benedicite à Lectore, & data benedictione ab Hebdomadario Largitor omnium. &c. In fine lectionis addatnr lectio. Fratres: Sobrii estote &c. Deinde: Tu autem Domine. &c. Et qui præest dicat: Adjutorium nostrum in nomine domini. &c. Et tunc decantando Miserere mei DEVS, intrent Fratres Ecclesiam, & facta confessione, & dicto Completorio, det Prælatus benedictionem, & Hebdomadarius Aqua aspergat denedicta. Pro tempore vero Lectio prædicta: Fratres, Sobrij estote, Legatur in Ecclesia. Quicunque bibere volverit extra horam, licentiam petat à Prælato, & unum socium accipiat.

De Rasura.
CAPITVLVM XI.

Rasura sit superius, non modica, ut Religiosos decet: Sic ut inter ipsam & aures non sint plures quam tres digitti tonsura quoque fiat de super aures. Rasura fiat his terminis: Prima in Nativitate Domini. Secunda inter Nativitatem Domini, & Purificationem. Tertia in Purificatione. Quarta inter Purificationem & Pascha. Quinta in Cæna Domini. Sexta inter Pascha & Pentecostes. Octava inter Pentecostes, & Festum Beati Petri & Pauli. Nona in Festivitate eorundem. Decima in

Festo

Festo Sánctæ MARIÆ Magdalenæ. Vndecima in Assumptione Beatæ MARIÆ Virginis. Duodecima in Nativitate ejusdem. Decima teria in Festo Sancti Dionisij DecimaQuarta in Festo Omnium Sanctorum, Decima Quinta in Festo Beati Andreæ.

De Lectis & Cellis.
CAPITVLVM XII.

FRatres omnes nostri Ordinis habitent in Cellis sibi cócessis, & non alibi quæ ita claudantur, ut clave communi seris aperiendis coaptata aperiri possint, quarum supellex statui religionis quam Professi sumus conveniat, nihilq; superflui sit in eis, nihil etiam quod sit necessarium desit. Provideatur vero unicuiq; de mensa, de sede, de candelabro sive lucerna, de lecto decenti, & religioso, in quo sit matarium laneum, & duo pulvinaria, sive capessale ad tenendum Caput, duo linteamina linea, & Opertorium humile & honestum, Coopertorium vero: ex serico aut alias delicatum, seu curiosum: nullus Frater etiam infirmus in Conventu teneat. Quicunque Cellam Fratris alterius intraverit sine licentia Prioris expressa (quam non nisi pro rationabili causa dabit.) Si de die intraverit, ter in terra sedens in medio Refectorij pane & aqua reficiatur: de nocte vero intrans, prædictam pœnam sustineat duplicatam, eodem modo puniatur ille cujs est Cella, nisi immediatè de illa exijsset. Quam pœnam non extendimus ad Celam Prioris

& Subprioris in absentia Prioris, nec Magistri Novitiorum, pro Fratribus suis subiectis, nec Regentis extra tempus silentij. Volumus autem quod quilibet Prior ad minus bis in anno Cellas omnes sui Conventus visitet, assumptis secum uno, vel duobus de gravioribus Patribus Conventus. Fratres vero teneantur Priori per se vel per alium petenti dare claves, quarumcunq; arcarum; Si eas in Cellis habuerint, vel cujuscunq; repositorij loci, & diligenter videat Prior, si aliquid habeant in Cellis suis magis delicatum, pretiosum, vel curiosum: quam quod statui religionis nostræ congruat, & ab illis huiusmodi auferat; Puniatque eos animadversione condigna. Idem faciat, si invenerit libros profanos, & inhonestos, Epistolas, vel aliquid aliud; quod nostræ Professioni ac honestati aperte repugnat.

De Vestitu.

CAPITVLVM XIII.

Omnibus Fratribus sui Conventus Prior charitativè, & prout cuiq; opus fuerit de vestibus & calceamentis, & alijs necessarijs iuxta Conventus possibilitatem provideat. Quia vero congruum tempus ad providendum Fratribus de vestimentis est à Festo Sancti Michaelis usq; ad Festum Omnium Sanctorum: Volumus, ut quilibet Prior infra prænotatum tempus juxta singulorum necessitatem Fratribus faciat diligenter provideri. Nullus autem habeat plures tunicas, quam duas, cum pelliceo in

hyeme

hyeme, vel tres ſine pelliceo, quod ſemper tunica coopertum deferatur; Saltem ſemper extra Monaſterium. Pelliceis ſylveſtribus, & coopert uris quarumcunq; pretioſarum pellium Fratres noſtri non utentur, tunica ad talos pedum, Scapularia cum Cruce rubea ante pectus, Cappa vero clauſa brevior ſit tunicis & Scapulare; & etiā pellicium, Caputium etiam albi coloris ſicut alia veſtimēta noſtri Ordinis portans ſuper Cappa de ſuper caligas, & Saccos habebimus, ubi neceſsitas fuerit, & facultas permiſerit. Fratres vero Converſi paliis apertis utantur.

De Silentio.

CAPITVLVM XIV.

Silentium Fratres noſtri teneant in clauſtro, in dormitorio, in Cellis, in Refectorio, in Oratorio Fratrum, niſi forte quis ſilenter aliquid loquatur, non tamen Oratione perfecta, alibi loqui poterit, niſi de licentia ſpeciali. Omnes Fratres ubique intus & extra ſilentium teneant, in menſa tam Priores quam alij. Poterit tamen Prior diſpenſare ſuper ſilentium menſæ. Si quis autem hoc ſilentium fregerit, abſque licentia, in uno prandio aquam bibat abſque diſpenſatione, exceptis infirmis decumbentibus. Infirmi non decumbentes à prandio uſq; ad Veſperas ſilentium teneant: Similiter & poſt ſignum quod fit poſt Completorium. A minutis etiam poſt primam diem ſuæ minutionis idem ſimiliter obſervetur. Fratres de ſilentio in Capitulo ſe accuſent, ſicut de a-

liis culpis, & Priorum arbitrio puniantur. Si quis autem inter duo Capitula septies silentium fregerit, in uno prandio sedeat in terra.

De Itinerantibus.
CAPITVLVM XV.

SI quando hospites ad nos venerint maximè Religiosi sine murmuratione: imò cum vultus & cordis hilaritate, omni cum charitate & devotione, iuxta Monasterii consvetudinem recipiantur. Quoniam Christus Dominus, in cujus persona ipsi recipiuntur, dicturus est judicii magni die: Hospes fui, & non suscepistis me, debetq; magna cura adhiberi à Priore & hospitalario, ut hospites consolati & ædisticati recedant. Itinerantes vero nostri Ordinis, sive de propè, sive de longe veniant, recipiantur modo supradicto tanquam Fratres. Si vero tempore silentii venerint, nulli se conjungant; nec loquantur, nisi eis ad quos spectat hospites suscipere, vel de speciali licentia Prioris. Si autem loqui oporteat, sic loquantur, ut Fratres in silentio manentes non inquietent. Præterea itinerantes nostri statim ut venerint Priori Cōventus negotium exponant. Post exhibitam à Priore hospitalitatis humanitatem, si ulterius aliquis eorum in domo moram traxerit, sicut unus ex Conventualibus tractetur. Post tres autem dies, nisi fuerint legitimè impediti, vel Prior cum eis dispensaverit, ad Missam majorem & horas canonicas quotidie conveniant, & ad

sacra

ſacra facienda ſicut & alij Fratres Conventus teneantur. Et Capitulo de culpis ſemper interſint; niſi ſint Priores aliorum Conventuum. Licet autem hoſpites in ominbus Priori obedire velimus; Si tamen aliquis ex ipſis habuerit aliquid à Priore ſuo in mandatis, ſeu aliud quodcunq; negotium, utile & honeſtum, cui oporteat ipſum attendere; Prior loci eum non occupet aliquibus negotijs, ne illud propter quod venit impediri, vel differi valeat: Sed ſicut diſcretioni ſuæ videbitur, & de ſocio ei providebit cum quo illud tale valeat expedire. Statuimus præterea, ut nullus Fatrer noſtri Ordinis veniens ad locum ubi Ordo habet Monaſterium in domibus Sæcularium vel Religioſorum prandere, vel cænare præſumat, antequam ad Conventum vadat: Sub pœna comedendi in terra tribus diebus panem & aquam in medio Refectorij. Eadem pæna puniatur, qui in locis prædictis pernoctaverit. Quodſi per duas noctes duplicetur ei pœna. Quod ſi prior aliquis tale quid commiſerit, à Provinciali, vel Viſitatoribus graviter puniatur. Provincialis vero in Capitulo Provinciali. Si autem Frater aliquis tale quid commiſerit, correctione dignum, corrigatur à Priore ſui Conventus in cujus queſtu eſt. Quicunq; Prior, vel Vicegerens minus charitativè hoſpites tractaverit, in prima & in ſecunda viſitatione à Provinciali arguatur, ſuſpendatur, & privetur, & ineligibilis per tres annos maneat. Provincialis vero, vel Viſitatores, qui hujuſmodi convictum ab Officio non ſuſpenderint, vel privari non fecerint; eadem pœna inhabilitatis puniantur.

De Infirmis.

CAPITVLVM XVI.

CIrca infirmos caveat ne sit negliens Prælatus, vel Prior. Sic enim procurandi sunt infirmi, ut citius releventur sicut dicit Pater noster Augustinus, & ut in quolibet Conventu nostro una sit domus pro infirmis, extra quam nulli ægro liceat residere, nec Conventus teneatur extra domum illi, in necessarijs infirmitatis providere. Talis autem domus, à nullo qui non sit evidenter infirmus possit occupari: præcipuè, quando in loco aliqui Fratres sunt infirmi. Vt autem facilius & commodius sine distractione bonorum loci habeantur, expendenda pro necessitatibus fratrum quando infirmantur: Volumus & mandamus, ut de omnibus Proventibus Monasterij & Sacristiæ in pecunia semper sequestretur pars decima, & ponatur apud aliquem fratrem ad hoc per Cōventum datum, qui non sit Sacristianus, nec Procurator; & ab ipso accipiat Infirmarius, aut simul cum ipso expendat de dicta pecunia pro necessitatibus dictorum infirmorum, & pædictus Fater rationem reddat omni mense sicut Procurator de dictis proventibus vel expensis. Prior assignet infirmis, fratrem qui eis tam die quam nocte cum Charitate necessaria ministret. Si unus non sufficit, propter multitudinem infirmorum, coadiutor detur eidem: Prior sæpè eos visitet, de Confessione moneat, hortetur ad patientiam, inquirat, an aliquid debeat alicui, vel ei de-

ei debeat alius, ſolicite curet, ne aliquid deſit Infirmatorio. Si autem Priorem infirmari contigerit, in Infirmaria cum alijs procuretur. Fratres vero leproſi intra ſepta ſui Conventus ſeorſivè ab aliis procurentur. Quod ſi arctitudo illius loci, vel alia cauſa legitima non permiſerit, per Priorem Provincialem noſtri Ordinis ad Conventum alium transferantur.

De Mortuis Fratribus.

CAPITVLVM XVII.

SOlicite curet Prior, ut antequam infirmus rationjs uſu privetur omnibus Sacramentis tanquam armis, à Chriſto Domino nobis liberaliter conceſsis, ad tranſitum ad æternam vitam à temporâli muniat, atquè corroboret, Diligenter etiam ab eo inquirat, an ſciat alicuius culpam, per quam poſsit aliquod ſcandalum Ordini noſtro generari, vel domui, vel Fratri: item an habeat alicubi depoſitum, quod ipſe Prior ignoret, dicatq; Priori ſub pœna proprietarij, quodſi noluerit, & mori eum ſic contigerit, careat ſepultura Eccleſiarum. Si autem aliquem Fratrem ſine Sacramentis Eccleſiæ ob Prioris incuriam è vita migrare contigerit; Prior abſq; ulla diſpenſatione Officio privetur. In hora egreſsionis animæ illius de corpore, ad ſignum Infirmarij omnes Fratres conveniant circa eum, & Officium commendationis animæ debite perſolvant: Poſtquam mortuus fuerit ſpolie-

tur & lavetur honeſte ab illis quibus Prior injunxerit; deinde induſio, tunica, ſcapulari & caputio deſuper ornetur, tibialiis indutus, & caligis, ponatur in feretro, & in Capitulum deferatur, apponanturq; luminaria cum Cruce, & vaſe cum aqua benedicta, & aſperſorio & ſic Fratres ſucceſsivè & ordinatè à Priore per horas dividantur; ut á duobus Fratribus Pſalterium ſemper, cum Requiem æternam dicentibus recitetur. Cadaver non relinquatur ſolum; quouſquè peractis quæ debentur, ex ordine honeſte ſepeliatur. Ordinamus autem, ut in Eccleſia noſtri Fratres à Secularibus ſeparatim ſepeliantur. Sepultura Fratrum à Sepultura Secularium diſtingvatur. Si vero, quod abſit morte ſubitanea & improviſa Frater deceſſerit; ſepeliri non debet niſi tranſacto termino viginti quatuor horarum, vel circiter, Sepulto eo & omnibus aliis expeditis, conveniant in Capitulū Fratres; quibus Prior iniungat, vt ſinguli quam citius ſolvant ſecundum Ordinis Statuta, debitum pro defuncto. Priorem, Provincialem, vbicunque fuerit de morte hujuſmodi certiorem facere procuret, quatenus ipſe omnibus Provinciæ Conventibus Fratris obitum per ſuas literas denunciet, Suffragiaquè debita pro eo fieri mandet.

SECVN-

❧§*.*)(✠)(*.*§☙

SECVNDA DISTINCTIO CONSTITVTIONVM.

De Electionibus nostri Ordinis in genere.

CAPITVLVM I.

A Præsenti Capitulo Generali Cracoviæ celebrato, in Monasterio Sancti MARCI Evangelistæ, de mandato *Illustrissimi & Reverendissimi Domini* D. FRANCISCI SIMONETÆ Comitis ac Episcopi Fulginatensi, ac Sanctissimi Domini nostri Domini PAVLI Divina providentia Papæ Quinti, ejusq; Sanctæ Sedis in Regno Poloniæ Nuncij cum facultatibus Legati de latere. Anno Dñi. Millesimo, Sexcentesimo, Octavo, die Vigesima Nona Septembris in futurum præcipimus Priori Generali & RR. Provincialibus, nec non Diffinitoribus, pro tempore existentibus, & ijs quorum intererit in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub pænis privationis officij, & vocis activæ & passivæ eo ipso incurrendis, ut de triennio in trienium celebrari curent Capitulum Generale, juxta Decretum Concilij Tridentini Sessionis 25. de Regul: & Monial: Capite Octavo, ad quod universi Fratres conveniant, impedimentum Canonicum non habentes ad unũ

de Monasterijs ad hoc aptum: in quo Capitulo semper fieri debeat Electio novi Prioris Generalis, Provincialium, Diffinitorum, Præpositorum, & Priorum totius congregationis sive Ordinis; & in eo diligens habeatur tractatus de reformatione Ordinis & observantia Regulari.

Antequam detur Principium Capitulo, GeneralisPrior una cum Diffinitoribus, & Provincialibus eligant aliquem Patrem: quem magis idoneum & circumspectum judicaverint, qui præsit Vniverso Capitulo, donec fuerit creatus novus Prior Generalis, & apud eundem præsidentem idem Prior Generalis antiqvus deponat Sigillum Officij sui cum libris Ordinis, & si absens fuerit; ij deponant Sigillum, & eosdem libros, per quos ea miserit.

Quodsi Prior Generalis Sigillum sui Officij resignare noluerit, vel ad mandatum, seu requisitionem. Patris Præsidentis, ac Diffinitorum, Officio Generalatus renunciare detractaverit, sua in Obedientia permanente, tanquã Ordini rebellis omni Communione Fratrum sit penitus destitutus, præter alias pænas eidem inflingendas per Priorem Generalem Successorem cum consilio Patrum Diffinitorum. In electione autem Superiorũ quorumcunq; & aliorum Officialium, quæ omnia rectè & sine fraude fiant, inhærentes decretis Sacrosancti Concilij Tridentini stricte præcipimus: Omnes supradictos elegi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Præterea non liceat Priores Proviciales, Priores Conventuales, Diffinitores, aut Discretos, ad effectum electionis facendæ constituere, aut vo-

ces &

ces & Suffragia absentium supplere. Si vero contra hujus decreti Constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit, & is qui ad hunc effectum se in Generalem, Provincialem, Priorem Deffinit: &c. creari permiserit, deinceps ad omnia Officia in religione obtinenda inhabilis omnino existat. Nullus in Electionibus nostris vocem activam habeat, nisi sit præsens: nec absentes possint Procuratores pro seipsis in particulari substituere. Nullus præterea posit habere plures voces activas in eadem electione. Nullus item posit voci suæ renunciare, sub pœna privationis vocis activæ per biennium.

De Forma Celebrandi Capitulum Generale.

CAPITVLVM II.

CVm dies assignata advenerit, non obstante cujuscunq; absentia Generale Capitulum incipiat celebrari in vigilia diei assignatæ. Et primo summo mane dicatur Missa soleniter de Spiritu Sancto, deinde fiat sermo, & post sermonem fiat commemoratio Fratrum, Familiarium, patronorum, benefactorum, & literas confraternitatis habentium defunctorum ex singulis Provintijs citra Generale Capitulum ultimo celebratum, & infine dicitur Psal: De profundis. Kyrie eleison. Christe. Kyrie. Pater noster. ℣. Et ne nos inducas. A porta inferi. ℣. Credo videre: Dominus vobiscum. Oremus. Absolve

Domine quæsumus animas famulorum famularumq; tuarum, ab omni vinculo delictorum ut in resurrectionis gloria inter Sanctos & electos tuos resuscitati respirent. Per Christum. Amen. Et statim incipiat Præsidens Hymnum. Veni Creator. &c. quem Hymnum prosequatur Capitulum altisonè, in fine dicat Præsidens Kyrie eleison. Pater noster. &c. ℣. Et ne nos. &c. Emitte Spiritum tuum. &c. Domine exaudi. &c. Dominus vobiscũ. Oremus. Deus qui corda fidelium. &c. Quibus dictis & exclusis omnibus, qui non sunt de gremio Capituli, videantur literæ Deffinitorum, & Sociorum, & fiat diligenter Scrutinium: Si ritè & Canonicè fuerunt electi, & si quis aliter venerit; non debet interesse Capitulo. Si autem contingat aliquem electum Deffinitorem venire post Scrutinium factum postquam aliquis de Provincia sua fuisset admissus, non admittatur ad Diffinitores. Deinde audiantur culpæ Provincialium, & responsiones eorum: & si aliqui amiserint vocem, & locum, ipso facto excludantur; & nulla pœnitentia alia eis tunc iniungatur donec per Priorem Generalem post ejus electionem vel Diffinitores fuerint discussæ culpæ eorum. Itidem audiat Præsidens, & Capitulum culpas Prioris Generalis antiqui, & secundum delicti gravitatem veniet puniendus.

De Electione Prioris Generalis.

CAPITVLVM III.

AVditis culpis Provincialium, statim, & ante omnia, ad ele-

ad electionem Prioris Generalis procedatur: & eum eligant Fratres in Priorem Generalem, Religiosum, & circumspectum virum, & eum quem ad tantum Officium existimaverint digniorem. Electio autem Prioris Generalis nullo modo fiat per absentiam, sed præsentium duntaxat vota legitime habentium vocem & locum in Capitulo Generali, quæ adhuc per secreta vota fiat, non publicantes nomina eligentium, juxta Decretum Sacrosancti Concilij Tridentini hoc modo videlicet, aliquis scriba à Præsidente Capituli deputatus, prius ei præstito juramento de non revelandis nominibus eligentium, solus, vel seorsum audiat, vel accipiat singulorum eligentium vota, qui votum suum ipsi scribæ exhibeant nomine electi, tantum expresso hoc modo Eligitur Reverendus N. in Priorem Generalem Nostri Ordinis. Quo scripto eligens Schedam, à scriba accipiat, videat, & propriis manibus complicet, eamq; deponat in pixide, & omnium Suffragiis absolutis, unus de præcipuis gremialibus ad nutum Præsidentis Singulatim, dictas schedas extrahat, & evolvat, & alius audiente toto gremio vota singulorum eligentium legat, & pronunciet. Et tum ille in quem pars major & sanior convenerit omnium eligentium, ita videlicet: ut pars sua partes alias sibi junctas excedat, simul ille Prior Generalis habeatur ab omnibus, quod si non excedat, reijciatur electio usque tertio, & ille tunc in quem major & sanior pars convenerit, Prior Generalis habeatur, & publicatione votorũ facta subpressis nominibus eligentium statim habens pri-

mam vocem dicat: Ego N. authoritate mihi commissa, & nomine omnium eligentium denuncio N. esse Priorem Generalem Ordinis nostri, & pronuncio eum virtute Privilegii Ordini nostro indulti fore Priorem Generalem legitime confirmatum. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Si tamen Electioni consenserit ipse electus. Ipso autem sic confirmato ducant eum Fratres ad Ecclesiam cantantes: Te Deum laudamus ubi ante Altare tapetijs reverenter appositis se prosternant donec finiatur: quo terminato dicitur, Kyrie eleison. Christe. Kyrie. Pater noster. &c. & dicat, qui præerat ejus electioni, vel qui confirmavit: Et ne nos inducas. &c. ℣. Manda Deus virtuti tuæ. ℟. Confirma hoc DEVS quod operatus es in eo. ℣. Salvum fac. &c. ℟. DEVS meus. ℣. Ora pro eo Sancta DEI genitrix. ℣. Domine exaudi, Dominus vobiscum. Oremus. DEVS qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da ei in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere. Oratio. Prætende Domine famulo tuo dexteram cælestis auxilij, ut te toto corde perquirat, & quæ digne postulat assequatur. Oratio. Omnipotens sempiterne DEVS, qui facis mirabilia magna solus, prætende super famulum tuum, & super cunctam congregationem illi commissam Spiritum gratiæ salutaris, & ut in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde. Oratio. Protege Domine Famulum tuum subsidijs pacis; & Beatæ MARIÆ semper Virginis patrocinijs confidentem à cunctis hostibus redde

securum

ſecurum. Per Chriſtum. &c. Deinde ſurgat, & oſculetur altare reverenter; & præſentetur ei aſperſorium, qui ſe primo, deinde alios aſpergat: tunc ſedeat in loco ſibi ante altare parato reverenter, & fratres ſinguli ad eum accedentes, genibus flexis, manus ejus oſculentur humiliter, & devote, & ipſe de cætero ſit diligens, & intentus cum DEI timore ad regimen Ordinis & reformationem morum. Poterunt tamen & Patres in Generali Capitulo confirmare antiquum Priorem Generalem in aliud triennium tantum, ſi id religioni expedire judicaverint.

De Officio Prioris Generalis.

CAPITVLVM IV.

PRior Generalis à toto Ordine eligatur quolibet triennio Canonica electione per vota ſecreta; ad normam S. Concilij Tridentini, cujus electio, cum ſolo ſuo conſenſu eſt confirmatio, qui confirmatus omnimodam poteſtatem habet in religione, tanquam ſupremus Præſes, Viſitandi, diſponendi, Ordinandi, & amovendi ea, quæ amovenda judicabit ad normam harum Conſtitutionum de Provincia ad Provinciam, & de Conventu ad Conventum Fratres transferre liberè poteſt, ſine contradictione cujuſcunquè. Privilegia autem, & quæcunq; alia, de Provincia ad Provinciam, & de loco ad locum, ex cauſa rationabili etiam transferre quando ſibi videbitur expedire: ita tamen ut de hujuſmodi receptione,

ne, & translatione, illis, á quibus recipiuntur, literas faciat fieri testimoniales, & Patentes, ut Privilegia, & aliæ res sic translatæ loco & Provinciæ quibus sunt restituantur quam citissime ubi opus fuerit; bono modo etiam sine requisitione. Item in quibuscunq; Capitulis Generalibus, Provincialibus, Conventualibus, per se, aut per Vicarios, vel Visitatores præsidebit. Nisi quando in Capitulo Generali culpas suas debebit dicere: & Deffinitores debebunt de eo pertractare. Porro Vicarius missus ad Generale Capitulum, scrutinio facto non debet amplius præsidere. Debet etiam Prior Generalis culpas Provincialium, & Conventualium, & aliorum Fratrum subditorum quorumcunq; corrigere, ad visitationis Officium exercere. Rationes, in quibuscunq; Capitulis excipere & juridice audire. Si quis autem verbo, vel facto directè vel indirectè per se vel per alium quovis colore quæsito, divisionem nostri Sacri Ordinis, cujus unitas in unitate capitis consistit procurare ausus fuerit, tanquam Schismaticus & destructor Ordinis habeatur, & voce, ac Officio, & gradu, & quavis alia gratia, ab ordine sibi concessa privetur. Nec ad prædicta valeat restitui, nisi per Capitulum Generale. Tandem subeat pœnam, qui absque Capitulo Generali aliquod novum institutum vivendi in nostra Sacra Religione introducere attentaverit, vel procuraverit, vel ipse vel alius quispiam ab obedientia Prioris Generalis eximatur. Ad ipsum spectabit Provinciales electos confirmare, & pro notabili & manifesta inobedientia & rebellione, quæ testimonio

ſtimonio Capituli Provincialis, aut Conventualis rationabiliter excuſari non poterit, vel pro omnibus culpis, pro quibus aliqui Carcerem meruiſſent, vel iuſte vocem, vel locum amiſsiſſent, de quibus confeſsi vel convicti fuerint, ab officijs abſolvere poterit ſine contradictione cujuſcunquè. Item poterit Provinciales deponere & reſtituere, conſentiente maiori & ſaniori parte Capituli. Provincialis ex cauſa rationabili, quæ ei apparebit rationabilis, cum ſibi videbitur expedire. Item poterit ponere & deponere Priores cujuſcunque Conventus immediate ſub ejus regimine conſtitutos. Similiter Præpoſitos, Rectores, Plebanos, Vicarios Subpriores, Sacriſtas & alios Officiales dictorum Conventuum cum ſibi videbitur expedire.

Poterit autem Prior Generalis fugitivos cujuſcunque Provinciæ ad Ordinem libere recipere & pænitentiam aſsignare de commiſsis: & tam cum illis, quam vel cum aliis defectuoſis ſuper pænitentiis diſpenſare miſericorditer, partem pænitentiæ, vel totam etiam remittere. Et in quibuſlibet Provinciis poterit novitios recipere, receptos ad profeſsionem admittere, profeſsos ad Ordines mittere, ſine aſſenſu cujuſcunquè. Poterit etiam Capitulum Generale, vel Provinciale mutare, & terminum cauſa rationabili adbreviare, vel prolongare, & hoc idem committere Provincialibus aut vicariis quando ſibi videbitur expedire. Volumuſq; , ut Priores Provinciales & Conventuales ac Vicarij in hoc ſibi firmiter teneantur obedire. Habet etiam poteſtatem Eccleſias Parochia-

les, ac Monasteria suæ Regulæ, ac Ordinis ubilibet consistentes ac eorum proventus, quomodolibet abstractos, neglectos, & intermissos, occupatos, & nulliter ac per peram distractos, & alienatos, iure, vel alio quovis modo licito & honesto recuperandi. Item curet sollicitè & provideat, quomodo Ordo noster, si in aliquibus locis debilis est, roborari & augeri posʃit; & ad hæc vigilet & insistat, ac Provinciales instantiʃsime moneat & hortetur. Poterit locum & vocem his qui amiserunt restituere, & inhabiles habilitare ad studia, gradus & officia, nisi commisissent scandala talia, quorum dispensatio per Constitutionem Generali Capitulo reservetur. Poterit literas Officiorum Spiritualium, & fraternitatis in toto Ordine concedere. Fratres cujuscunq; Provinciæ à sententia excommunicationis absolvere, quam pro iniectione manuum in seipsos, aut Apostasia, aut ex Ordinis censura incurrissent. Tandem Prior Generalis eandem habebit authoritatem in suæ Congregationis seu Ordinis Monasteria ac Regulares in eis commorantes, quam alii Præsides, in cæteris habent Ordinibus iuxta decretum Concilii Tridentini. Seʃsion. 25. de Regula, & Monialibus. Cap. Octavo.

Item. Statuimus, ut si Prior Generalis resignaverit Officium, in omni electione, & quocunq; actu alio immediatè sit, post Priorem Generalem, si præsens fuerit & quoscunq; alios Fratres, Ordinis præcedat ubiq; cujuscunque gradus, & Officii, & conditionis fuerint; & omni Capitulo Generali, vel Provinciali, sit primus De-

finitor

finitor semper: Mandamus, ut ei provideatur de vestiario, & victualibus decenter præ aliis Magistris, qui non fuerint in dicto Officio. Item Prior Generalis ab Officio absolutus, vel resignans potest sibi eligere Provinciam de tota religione, & in ea Conventum ad manendum quem voluerit: ita tamen, ut si in eadem Provincia voluerit mutare, de Conventum ad Conventum id faciat de speciali licentia Prioris sui Conventus, ad quos vere declinaverit absolutè ipsum recipiant reverenter. Sed pro itinere non tenentur providere expensas. Statuimus enim, ut ipsi absoluto, vel resignāti, fiant expensæ de Communi Ordinis, à loco Capituli Generalis, usque ad Conventum quem elegerit. In absentia vel vacatione Officij Generalatus, suppleat rationes Prioris Generalis, Vicarius Generalis, & eo non existente, Senior Diffinitor, & successive alius Diffinitor, sive alius ad hoc deputatus à Capitulo.

De Solenni Receptione Prioris Generalis.

CAPITVLVM V.

FRatres omnes cum cappis albis, (præcedente vexillo crucis) bini & bini incedētes processionis more exeāt, extra ianuā Ecclesiæ nostræ. Sit cum eis Prior, vel alius Pater ætate gravis, Diaconus & Subdiaconus induti sericis, & thuriferarius indutus alba, vel super pelliceo cum thuribulo. Pater vero qui peragit Officium manu sua teneat

Crucem, vel Pacem, vel Miſſale, apertum in ea parte quæ incipit: Te igitur Clementiſsime Pater. &c. & porriget Crucem vel imaginem Crucifixi oſculandam Generaliſsimo Patri Ordinis, qui flexis genibus adorabit Crucem, dicens: Adoramus te & benedicimus tibi, quia per Sanctam Crucem redemiſti mundum. Poſtea ſubjunget iunctis manibus (Oratio) Adeſto nobis Domine DEVS noſter: & quos Sanctæ Crucis lætari facis honore; eos quoq; perpetuis defende ſubſidiis. Qui vivis & regnas, &c. Qua expleta, incipiet qui peragit Officium canere: Te DEVM laudamus. Thuriferarius tunc thure ſuffumigabit *Reverendiſsimum Dominum* GENERALEM. Crux redibit in Eccleſiam, & Fratres ſequentur Crucem cantantes, Te DEVM laudamus. Cum Pater Ordinis erit ad Ianuam Eccleſiæ, in *ejus* manibus ponent aſperſorium, qui ſtatim aſperget; & diffundet aquam ſuper omnes, qui erunt in illius Comitatu. Cum ipſe Pater *Reverendiſsimus* pervenerit ad locum præparatum, flectet genua: tunc (organo ceſſante) fratres incipient canere Reſponſorium: Cives Apoſtolorum. quo finito, dicet Miniſter: Salvum fac Servum tuum. ℟. Et Filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Oremus pro Priore noſtro Generali. ℟. Dominus conſervet eum, & vivificet eum in pace. ℣. Domine exaudi. &c. Dominus vobiſcum. *Oremus.* Omnipotens ſempiterne DEVS, qui facis mirabilia magna ſolus prætende ſuper famulum tuum Priorem G. & ſuper cunctam Congregationem illi commiſſam Spiritum gratiæ Salutaris: & ut in veritate tibi

compla-

cnmplaceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde. Per Christum Dominum. Tunc ponent stolam ad collum. ℟. Patris Prioris Generalis qui adibit altare flectendo genua ad deosculandum, & accepto thuribulo, more solito diriget incessum in conspectum altaris. Postea cantando dicet versum: Ostende nobis Domine &c. ℟. Et salutare tuum da nobis. ℣. Salvos fac servos tuos. ℟. DEVS meus sperantes in te. Ora pro nobis Beate Pater AVGVSTINE. ℟. Vt digni efficiamur. &c. ℣. Ora pro nobis Sancta DEI genitrix. ℟. Vt digni efficiamur promissionibus. ℣. Domine exaudi Orationem. Et clamor. &c. ℣. Dominus vobiscum. &c. *Oremus.* Protege Domine. &c. *Oratio.* Prætende Domine famulis & famulabus tuis dexteram cælestis auxilii: ut te toto corde perquirant; & quæ digné postulant assequantur. *Oratio.* Adesto supplicationibus Omnipotens DEVS, & quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges: intercedente Beato AVGVSTINO Confessore atque Pontifice consvetæ misericordiæ tribue benignus effectum. DEVS qui corda. &c. Per Dominum. &c. Amen. His dictis, statim subiiciat versum. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc & usque in sæculū. ℣. Adiutorium. ℟. Qui fecit cælum &c. Postea dicat: *Oremus.* Benedictio DEI Omnipotentis Patris, & Filij & Spiritus Sancti descendat super vos, & maneat semper. ℟. Amen. Hæc dicens, Pater Ordinis tres Cruces faciat super populum illi benedicendo. Qua oratione expleta, pressa & firma voce dicet pro defunctis fratribus Sanctimoni-

alibus & Benefactoribus Ordinis Nostri. Psal: De profundis &c. cum Fratribus. In fine. Requiem æternam. &c. Et sine Kyrie eleyson; dicitur: Pater noster. ℣. A porta inferi. &c. ℣. Credo videre bona Domini. &c. ℣. Domine exaudi. &c. Dominus vobiscū. &c. *Oremus.* Inclina Domine. &c. DEVS veniæ largitor. &c. Fidelium DEVS. &c. Requiescant in pace. Amen Si libuerit, & gratias aget illis, qui eum comitati fuerunt. Postremo sedenti omnes Religiosi Conventus (initio sumpto à Priore) signum exhibebunt obedientiæ Priori Generali, illius manus reverenter osculantes.

De Forma Celebrandi Capitulum Provinciale.

CAPITVLVM VI.

CVm dies assignata venerit, scilicet vigilia Festi, non obstante cujuscunq; absentia inchoetur & celebretur eodem modo sicut Capitulum Generale. Primo dicatur Missa, fiat sermo, commemorentur Fratres defuncti singulorum Conventuum, & reliqua usque ad scrutinium. Completum, & examinatis literis Sociorum omnes gremiales à Præsidente interrogentur, si in aliquo Sociorū aut Magistrorum sciant aliquod impedimentum, propter quod non debent habere locum: quod si reperiatur confessum, aut sufficienter probatum, statim eiiciantur, antequam ultra procedatur, facto autem prædicto scru-

tinio

tinio immediatè culpæ Priorum audiantur, & accusationes Conventuum recipiantur, & depositiones testium recitentur in omnium præsentia, sine expresione nominum testificantium; nisi evidens necessitas hoc requirat: Etsi tales sint culpæ, propter quas secundum statuta Ordinis amisissent vocem, & locum, ipso facto excludantur à Capitulo: nec Provincialis possit in eo dispensare, nisi in fine Capituli de consensu Diffinitorum si Statuta in casu illo eis remittant, & nulla alia pœnitentia eis iniungatur, donec in Deffinitorio fuerint eorum culpæ pertractatæ. Statuimus autem, quod quilibet Prior Conventualis portet secum sub sigillo Conventus Socios scientes statum domus: Scilicet rerum Sacristæ, Librariæ, Comestibilium, potabilium, omnium provisionum quantitatem, & numerum, & breviter omnium rerum notabilium Conventus: Et sic quæ citra Capitulum Provinciale fuerint perditæ, venditæ, vel alienatæ quovismodo, & debita omnia, tam activa, quam Passiva. Et in culpa sua præsentet Provinciali: Sit pœna privatio vocis & loci. Si quis negligenter omiserit prædictum scriptum, idque in Definitorio expendendum & discutiendum est in præsentia Discreti Conventus, & faciant Præsidens & Definitores, omnia illa inventaria simul scribi, & Provincialis illa secum deferat in visitatione, & Prioribus quibuslibet restituat scriptum suum.

De

De Electione Prioris Provincialis.

CAPITVLVM VII.

MOrtuo Priore Provinciali, assumpto vel amoto: tunc ejus vices committet Prior Generalis cui voluerit, usque ad futurum Capitulum Generale, & eum Commissarium vocabit. Nullus potest eligi in Priorem Provincialem, nisi fuerit habilis ad docendum, & simul probatæ vitæ. Nam Apostolus dicit: Episcopum oportere Doctorem esse, & hæc etiam Provincialibus congruere est æquvm & honestum. Electio autem fiat Provincialis per vota secreta; eo modo & forma, quibus electio Prioris Generalis fit, & observantur omnia illa quæ ibi ponuntur, excepto, quod Provincialis est per Priorem Generalem confirmandus, quem etiam prædictus Prior Generalis confirmare tenebitur: nisi in ipso, vel Electoribus, aut electione error evidens appareret: quem errorem ab ipso Priore Generali judicandum determinavimus. Electus autem Provincialis in literis Capituli dandis; non se Provincialem simpliciter nominet: sed electum in Provincialem. Si autem contingeret unum de Definitoribus in Provincialem eligi: tunc statim post electi pronuntiationem alius eligatur Definitor loco ejus, & si absentem contingat eligi aliquem in Provincialem; Ordinamus ut per literas sigillo communi Provinciæ sigillatas, ejus electio à Priore Generali, & Definitoribus ei insinuetur.

Reliqua

Reliqua habes in electione Prioris Generalis de Ceremoniis, & Solennitate.

De Officio Prioris Provincialis.

CAPITVLVM VIII.

PRovincialis Prior, in suis Provincijs habet authoritatem Novitios suscipiendi, per se, vel per alios, receptosq; admittendi ad professionem; & Professos ad Ordines Sacros promovendi. Excommunicatos pro manuum in fratres Ordinis violenta iniectione absolvendi: Literas fraternitatis suæ Provinciæ concedēdi, personis pertinentibus ad suam Provinciā; personaliter suam Provinciā visitandi, & defectus, tam Priorū, quam subditorū corrigendi: Visitationē, vel correctionē per alios faciendi, si personaliter accedere non valeret, & periculum cerneret imminere; fratres qui in ea sunt de Conventu ad Conventum permutandi. Poterit autē Provincialis Priores Conventuales in Capitulo Provinciali absolvere: Si eorū cvlpa notabilis, & sufficienter probata, aut cōfessa hoc requirat, & non aliter: declaramusq; quod nec capitulum Provinciale, poterit Provinciali dare licentiam deponendi Priorem, & alios Officiales nostri Ordinis, sine culpis, & pro libito; & si secus per eum Sancitum fuerit, totum volumus esse irritum & inane: excepto, quod Priores Monasteriorum potest per se suspendere ab officio: atque etiam de consensu Definitorum privare, inforiores autem

Officiales de facto privare potest, sicut casus emerse-rit. Prior tamen suspensus in Capitulo Provinciali vo-cem habebit; nisi Pater Præsidens cum judicibus causa-rum privatione dignum judicaverit. Excessus, pro qui-bus Provincialis poterit privari sunt isti: Si postposito DEI timore irreligiose vivit; vel apud Fratres seu Sæcu-lares de aliquo notabili vitio est infamatus. Si Consti-tutiones, & laudabiles Ordinationes, sive definitiones Ordinis, vel Provinciæ per Provinciam servare non fa-cit; transgressores scilicet non corrigendo; nec Conven-tus ad earum observationes hortando, & monendo: item si probatos manifestos, graves, & enormes Fratrum ex-cessus, secundum Ordinis Statuta non corrigit: Si mune-ra & dona non comestibilia, nec parvi momenti à fra-tre aliquo, vel Conventu, seu à Communitate Provin-ciæ, aut ab aliqua alia persona ejus, vel eorum nomi-ne per se, vel interpositam personam acceperit; quæ o-mnia postea Communitati Provinciæ restituere compel-latur: Si per se, vel per alium arte vel ingenio opera-tur; ut in ipso Provincialatus Officio remanere posit. Si quoq; verba injuriosa, vel contumeliosa ex Consvetu-dine Fratribus dicere assuescit: aut si de crimine cujus-cunque vitij carnalis, per tres, vel saltem duos Fratres bonæ famæ, & opinionis fuerit convictus: Si in Ora-torio & Refectorio postquam tribus diebus in loco ste-terit cum alijs Fratribus, quasi continuus (sine manife-sta, & evidenti necessitate) non fuerit removeatur.

De

De Electione Definitorum pro Capitulo Generali & eorum Officio.

CAPITVLVM IX.

STatuimus, ut quolibet triennio in singulis Capitulis Generalibus duo Deffinitores de discretioribus Fratribus, & magis idoneis à Capitulo per vota secreta eligantur à Congregatione. In hac Electione Prior Generalis (si ibi præsideat) vel ejus Vicarius in sui absentia habeant vota; & in eodem loco antequam discedant adinvicem electionem publicent, suppressis nominibus, & qui plura vota in Electione habuerit erit primus Definitor: qui vero plura post illum, erit secundus; & sic de aliis. Si autem plures æqualia vota habuerint, teneant Ordinem suæ professionis, seu dignitatis. Prædictis autem Definitoribus dentur literæ testimoniales de Electionibus suis, & super constituendis, innovandis, & agendis in Capitulo Generali, sive Provinciali habeant potestatem Definitores cum Priore Generali, habent authoritatem in Capitulo Generali. Priorem Provincialem antequam confirmetur examinare. Et si Prior Generalis, vel Definitores in aliquo discreparint; & in partes inæquales se diviserint, sententia plurium prævalebit, quibus Prior Generalis, vel Vicarius se coniunget. Prior Generalis, vel Vicarius ejus, & Procurator Ordinis in præsentia Capituli reddant rationem de expensis factis pro negotiis Ordinis exequendis. Similiter & Procura-

tores Generalis Capituli, & fratres ordinati ad recipiendum, & exponendum Priori Generali coram Definitoribus, & aliis fratribus quos vocare voluerit. Similiter Curati, Præpositi, Provinciales, Rectores, & alii Officiales: Eorum authoritas est audire diligenter culpas Prioris Generalis; quibus auditis determinent; an in Officio sit relinquendus. Vide de modo celebrandi Generale Capitulum. Item culpas Provincialis, & aliorum Officialium. Si non præsideat Prior Generalis, vel ejus Vicarius Provincialis coram Capitulo, dicat culpas suas, & accusationes Conventuum audiat: humiliter & devotè, mansvetèquè. Et si citra triennium Capitulum Provinciale celebretur; & Provincialis inveniatur partialis: Sic quod affectione quacunq; bonos deprimat, aut non promoveat, & malos ac indignos promoveat & exaltet, dum modo hoc evidenter pateat, proponatur coram eo; & ejus responsio audiatur: & si negaverit, probetur per testes fide dignos, & sufficientes; quorum depositionis redigantur in scriptis per Definitores. Et si ipse respondere nequiverit, & noluerit, & talia fuerint contra eum sufficienter probata; propter quæ incurrisset rebellionis, vel privationis vocis & loci, aut depositionis ab officio pænam: ipso facto ipsi Definitores teneantur ab Officio eum removere.

De Officio & Authoritate Visitatorum, & de modo visitandi.

CA-

CAPITVLVM X.

VIsitatores cum omni diligentia, maturitate, & æquitate commissum sibi visitationis Officium studeant exercere, ac solicitè caveant: ne alios visitando quidquā faciant, vel ommittant; quod postea in eis congrua animadversione veniat corrigendum. Horum Officium est, Fratres omnes ante celebrationem Capituli semel visitare, excessusq; ac culpas omnium Fratrum: tam subditorum, quam Priorum; Secundum Ordinis Statuta, corrigere, & ad debitum modum vivendi redigere Iidem non patiantur. Ceremonias, & Sanctas Constitutiones negligi, ac præteriri: ut sunt verbi gratia, Contemplationes, Disciplinæ, Silentium, Iejunium, Capitulum, Confessio, Communio, & cætera hujusmodi; quæ sic à paucis ut à multis observari possunt. Quodsi Priorem Provincialem in aliquo Conventu invenerit; non poterit, dictus Prior eos à visitatione prohibere, nisi iam suam Visitationem, ipse incepisset. Sequenti vero die postquam venerint, & omnes Fratres in domo fuerint aliquo absente expectet. Si videbitur expedire visitationem incipiat. Hora itaq; quæ eis oportunior videbitur, facto signo ut moris est, Omnes Fratres in Capitulum conveniant; & flexis genibus devotè dicant alternatim Hymnum, Veni Creator. &c. sine nota. Kyrie eleison & Pater noster, &c ℣. Memento nostri Domine. ℟. Visita nos in salutari tuo. Domine exaudi, &c. Dominus vobiscum, &c. *Oremus.* Deus virtutum, cujus est totum

quod est optimum: insere pectoribus nostris amorem tui nominis; & præsta in nobis religionis augmentum: ut quæ sunt bona nutrias, ac pietatis studio, quæ sunt nutrita custodias. Per Christum Dominum, &c. Tunc surgant, & Visitator dicto Adjutorium. &c. Brevem sermonem faciat, de aliqua Spirituali, & utili materia, si voluerit: postea Fratres admonebit de pertinentibus ad Actus visitationis, præcipuè ne aliquis dicat inutilia, & frivola. Deinde legat, vel legi faciat excommunicationis sententiam in hanc formam. Nos Frater N. & Frater N. hujus Ordinis Visitatores indigni. Vos omnes & Fratres & Patres hujus Conventus, ac voti, rogamus, hortamur, ac in Domino monemus: Primo, Secundo, & Tertio; & vobis in virtute Sancti Spiritus præcipimus, per obedientiam salutarem, quatenus remotis odio, timore, amore, pretio, dicatis nobis quantum in Domino poteritis, veritatem in omnibus, de quibus à nobis requisiti & interrogati fueritis: quod si aliquis vestrum hoc præsens mandatum nostrum contempserit, exnunc prout extunc trina Canonica monitione præmissa in his scriptis, licet inviti, eum vinculo excommunicationis innodamus. Deinde Fratrem aliquem modestum, & diligentem de Consilio Prioris pro Fratribus vocãndis nominabit; qui nomina & cognomina singulorum Fratrum Conventus scripta per Ordinem cum titulis graduum, Officiorum & Ordinum Venerabilibus Visitatoribus præsentabit. Postquam autem inquisitionem de omnibus quæ ad emendationem, correctionem Pri-

oris atque Fratrum ſpectabunt, diligenter fecerint, ſi aliqui vocandi fuerint, ut reprehensione ſecreta puniantur maturè & expedite fiat. Deinde viſitent depoſitum Conventus, Sacriſtiam, Cellas Fratrum: & ſi quid indecens invenerint, ab eis auferant: Viſitent etiam loca infirmorum & hoſpitum. His omnibus peractis, Capitulum de Culpis faciant, à Viſitatoribus dicto; Adiutorium, &c. Verbum habeat oportunum, poſtea dicat: Agamus de culpis, &c. Et Prior ſurgat, & coram Venerabilibus Viſitatoribus genua flectens humiliter dicat ſuam culpam: Nec ſurgat quam diu cum eo Viſitatores locuti fuerint. Deponere Priorem, vel removere, non poterunt; ſed ſi opus fuerit ſuſpendere ab Officio: deinde reos proclamabunt; qui ſi ſuam culpam confitebuntur, non oporteat teſtes publicare. Si vero quis negabit, tacito nomine prædictorum teſtium legent ipſi voce clara: ut ipſe audiens erubeſcat, & confiteatur quæ commiſit, deinde dignam pœnitentiam ſubeat. Poſtea Subprior, pro omnibus Sacerdotibus & Patribus gravioribus dicat ſuam culpam: quod etiam faciat primus ex Profeſsis pro ſe, & pro omnibus non Sacerdotibus, & impoſita eis pœnitentia dicant. Omnes genu flexi, &c. Confiteor. &c. Et Viſitator faciat abſolutionem generalem conſvetam, & concedet omnibus licentiam eligendi Confeſſorem idoneum & approbatum ejuſdem Ordinis: qui eos infra tres dies abſolvere poſsint ab omnibus caſibus & cenſuris, & dicto, Adiutorium. &c. Capitulum ſolvant. Habeant quoque Viſitatores proviſionem à ſuis Conventibus,

tibus, ſicut álii Fratres. De neceſſariis vero ad viſitandum, à Communitate Provinciæ provideatur. Vt autem occaſiones inquietudinis vitentur; & melius pax ac benevolentia cum omnibus conſerventur: nemo ex noſtris, nec in cauſis criminalibus, nec in civilibus ſe examinari, ſine licentia ſui Superioris permittat, ſub pæna privationis vocis per annum. Omnia autem per Viſitatores Statuta & Ordinata: tam quo ad morum reformationem, quam quo ad pœnitentiam iniunctam, firma & immobilia permanebunt, nec prior Provincialis ea poterit mutare, vel minuere, vel tollere. Si quis autem pertinaciter inobediens Venerabilibus Viſitatoribus repertus fuerit: pœnam patiatur quæ debetur ijs, qui Priori Provinciali ſunt rebelles.

De Electione Prioris Conventualis.

CAPITVLVM XI.

PRæpoſiti ſive Priores Conventuales in Capitulo Generali quolibet triennio ſecundum formam Canonicam eligantur per ſecreta vota ſuppreſsis nominibus eligentium: & qui plura vota habuerit quam omnes conjuncti, ſit Prior. Et electus per Superiorem niſi occurrerit legitimum impedimentum confirmetur in hac forma: Ego N. authoritate qua fungor, te N. confirmo

Prio-

Priorem hujus Conventus Sancti MARCI Evangelistæ, secundum Ordinis instituta: tribuens tibi curam animarum omnium Fratrum dicti Conventus; & administrationem omnium bonorum. In nomine Patris & Filij, &c. Quo facto si noluerit facere Solennitatem dicat Orationes sine cantu, quæ dici solent post Electionem Prioris Generalis.

De Officio Priois Conventualis.

CAPITVLVM XII.

PRiores Convẽtuales debent subditos suos admonere & corrigere, & Regulã & Cõstitutiones Ordinis Fratribus Clericis & Laicis, etiam Novitiis per se, vel per alios legere, & exponere in Capitulo, vel Refectorio, saltem quartis & sextis ferijs, aut legi facere: ita, ut ubi desierit incipiat à sequenti, ut ab omnibus intelligantur; super omnia ad observantiam, tam Regulæ quam Constitutionum, se & alios efficaciter excitare. Debent etiam suos Fratres frequenter admonere, ut modeste se gerant in Choro, & extra: ut se uniformiter inclinent, sic ut manus cancellatæ posisint attingere genua, intrando & exeundo Chorum, Capitulum ac Refectorium, ac etiam ante Altare majus transeundo. Sed ubi Corpus Christi servatur, genu flectant, & humilient se: & videant, ut inclinationes faciant nudatis Capitibus reverenter, sub pœna mediæ culpæ: Et breviter, ut rubricæ Ordi-

nales, seu Ceremoniales de inclinationibus & genu flexionibus devotè ab omnibus observentur. Ad horas Canonicas, temporibus, Statutis Domino DEO reddendas in Choro & extra eos urgeat, easq; semper in Choro pro more diei, aut cantari distinctè & devotè faciat, quibus intersit, nisi sit negotio Communi occupatus. In Refectorio cum cæteris comedat, nisi fuerit infirmus, vel propter hospites; Tenentur etiam Priores ut supra.

Prior negligens in suo Officio, à Superioribus graviter, &c. Si damnum Monasterio non restituet deponatur. Teneantur etiam Priores Conventuales per se, vel per alium custodire portam, & Conventuales suos quoties visum fuerit visitare eosdem ad Chorum Refectorium, Capitulum regulariter sequi, & tenere computum de receptis & expensis; & à recipientibus ac exponentibus recipere, & audire præsentibus, tribus custodibus per Conventum electis, ut aliis volentibus interesse de bonis Communibus, per assensum Custodum prædictorum ordinare, quos si in aliquo agendorum dissentire contigerit, ad majorem & Saniorem partem Conventus recurratur; & secundum eorum dictum omnia disponantur. Quod si non fecerint, & negligentes fuerint, à Superioribus graviter puniantur: Secundum exigentiam delicti. Statuimus item quod si aliqua bona Conventus non fuerint reperta, pœna graviori Prior puniatur, donec Conventus suum damnum recuperaverit. Nec concedatur quorumcunq; administratio, neque suffragetur gradus alicujus Officij quin exequatur omnia, quæ secundum

dum Regulam, & Constitutiones Ordinis debet Prior facere, præsertim pertinentia ad sequelam Chori Templi, & Refectorij. Quod si non fecerit Prior Provincialis eum deponat ab Officio, sub pœna depositionis à Provincialatu. Excessus plures invenies pro quibus Prior Conventualis poterit privari, in Officio Prioris Provincialis Capitul:

De Officio Prædicatorum.

CAPITVLVM XIII.

FRatres vero cujuscunq; gradus & Conditionis existant ad prædicandum nisi prius examinati, & approbati, per Capitulum Provinciale non mittantur, absque licentia in scriptis illorum Superiorum, qui hujusmodi licentias facultatem concedendi habent. Cum quibus si in Ecclesijs nostris prædicaturi sunt, prius, Episcopis, aut locorum Ordinarijs se præsentent, & ab eis benedictionem accipiant. Si vero in Ecclesijs, quæ nostri Ordinis non sunt eos prædicare contigerit: imprimis non tantum benedictionem, verumetiam licentiam ibidem prædicandi obtinere teneantur. Nec id munus exercere præsumant, nisi prius ea omnia præstiterint: Quæ per Sacrum Tridentinum Concilium decernuntur. Forma autem licentiæ hæc erit: Cum te doctrinæ sanæ probatæ, & Catholicæ vitæ quoq; probitatis, & integritatis amatorem hactenus cognoverimus, in eam spem adducti sumus ut

non modo in eo quod cæpisti perseveres; sed etiam ardentiori animo idem sis acturus: tenore præsentium, authoritate *Reverendi* Prioris Generalis, nobis in hac parte Commissa, potestatem tibi damus in nostris Ecclesiis cum benedictione, & alienis etiam de consensu *Reverendissimorum* Episcoporum, in quorum Diecæsi fuerint Ecclesiæ, prædicandi: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Hortamur vero te quantum possumus in Domino, & monemus ut DEVM præ oculis habeas, & solam ipsius gloriam, & populi salutem spectes. Scandala item errores ad omnem Hæresim, imo vel levem suspicionem prædicando evites. Quod per te facile fiet, si puram Evangelij doctrinam ad Sanctorum Patrum, ac Conciliorum, præcipuè Tridentini Decreti coniciens oculos exposueris: nequè in sublimitate sermonis; sed in ostensione Spiritus & virtutis prædicaveris, ut sit sermo tuus & prædicatio tua: non in potentia hominum; sed in virtute DEI datum.

Item ordinamus etiam; ut Fratres in prædicationibus, nec Prophetias, nec futura præsumãt determinare; nisi expressa sint in Sacra Scriptura, vel in libro aliquo authentico: Nec novas opiniones quæ non prosunt ad bonorum morum ædificationem, nec disputationem contra se invicem, vel contra alios prædicantes faciant in suis prædicationibus: sub pœna privationis vocis, & loci; & alijs gravioribus iuxta mensuram delicti.

De

De Electione Subprioris.

CAPITVLVM XIV.

STatuimus, ut à quolibet Conventu Subprior per Electionem habeatur. Et si Conventus tertia vice concordare nequiverit de Subpriore: Prælatus præsens prout sibi placuerit poterit providere. In Conventibus tamen majoribus & studijs Generalibus per Capitulum Provinciale Subprior ordinetur: demptis reservatis Priori Generali: habeatur autem ratio, ut in Conventibus insignioribus; & præsertim ubi sunt studia Generalia, Subprior instituatur ætate, & moribus gravis.

De Officio Subprioris.

CAPITVLVM XV.

OMnis autem Subprior regat in Prioris absentia, & corrigat, & alia exequatur, quæ ad regimen Conventus pertinere dignoscuntur; & defectus quoscunquè infra Conventum in Prioris absentia commissos corrigat in Conventu. Poterit in Capitulo, Refectorio, Choro, & Conventu, iuvenes nundum ad Sacetdotium provectos corrigere, etiam præsente Priore, & vidente: exceptis Novitiis, qui à suo Magistro sunt corrigendi. Si autem contingat Priorem & Vicarium absentari; & non constituerint aliquem ad dandam licentiã: Fratribus ex-

eundi extra Conventum: Volumus ut habens primam vocem, inter remanentes in Domo habeat authoritatem hujusmodi licentiam, concedendi: dum tamen evidens necessitas hoc requirat; & in casu simili Vicarius: qui etiam poterit Civitatem vel villam intrare sine alicujus licentia. Si vero Prior exiverit, & nullum Vicarium ordinaverit, Subpriore manente & presente, nullus per Conventum Vicarius eligatur. Item quando eundum est ad Capitulum Provinciale; non poterit Prior constituere Vicarium; sed Subprior præsidebit: qui si eligeretur in Socium Prioris, tunc Conventus deberet Vicarium eligere, ad custodiam Conventus: Sed tamen si Prior aut Vicarius vadat ad Capitulum sine alio: Omnia faciat Subprior, secundum Prioris dispositionem; nec in aliquo usque ad suum reditum poterit aliter ordinare. Subpriores, debent frequenter sicut & Priores Fratres admonere, ut modestè se gerant in Choro & extra, & inclinationes faciant reverenter: & ut Officium divinum tractim devotè & spaciose faciant celebrari; & omnia secundum institutum nostrum diligenter observari. Locus autem Subprioris regulariter & immediatè post Priorem supra omnes Sacerdotes simplices: nisi esset Pater honoris, quia tunc debet tenere locum suæ Paternitatis. Item Ordinamus, ut de assensu Prioris Subprior singulis Sabbatis disponat Officia Conventus, secundum Ordinem Professionum & Personarum qualitatem, & tabulam conficiat Ministrorum pro obsequiis Ecclesiæ: & eam publicè legi faciat in Communi Refectorio.

De

De Officio Sacristæ.

CAPITVLVM XVI.

IN quolibet Conventu Sacrista per Electionem Prioris & Conventus habeatur nisi per Capitulum Provinciale, aut Priorem Generalem provisum fuerit de eodem. Sacrista res Ecclesiasticas munde & honeste custodiat; & de Consilio Prioris Ordinet, & disponat de rebus Ecclesiæ parandis, &reparandis: ut libris vestibus, Calicibus, & aliis rebus necessariis pro Sacristia. Videat etiam diligenter ne intra Ecclesiam aliqua inconvenientia, & indecentia inveniantur: & quod bona hora & debita, porta Ecclesiæ mane & vespere, & interdiu si sit honestum: secundum diversa loca claudatur; & omnia faciat diligenter, quæ ad Officium Sacristæ spectant.

Ante omnia autem sollicitam cum tremore & reverentia curam habeat Sanctissimi SACRAMENTI quod ab ipso semel in hebdomada reverenter renovetur; & clausum sub custodia mundissime, & quam decentissime fieri poterit reponatur: ita, ut nulli sit liberum locum Sanctissimi SACRAMENTI aperire, excepto solo Sacrista, cui Sacra Commissa sunt. Qui clavem Ciborij sub alia clavi clausam semper teneat, semperq; plures hostias Sacratas reponat, ne si infirmum communicare contingat; Ecclesia sine Sacramento maneat. Habeat etiam in aliquo vase argenteo, vel alias decenti, oleum Sanctum pro infirmis nostris, quod suis temporibus re-

novari

novari faciat. Elèémosinas vero Officiorum & Missarum in libro scribat Sacristæ; quas in tuto loco asservet, & diligenter custodiat, ut pro utilitate Sacristiæ, & aliquando etiam Conventus expēdere posit, secundum Prioris voluntatem: dum modo de acceptis & expensis, sicut Procurator suis temporibus rationem reddat. Missæ autem celebrentur, iuxta devotionem offerentium de tali Sancto, vel de tali festivitate, & quotidie Sacrista faciat computum Missarum dictarum; ut à numero dicendarum deleantur.

In Sacristia toto tempore celebrationis Missarum silentium servari faciat. Habeat curam de tectis reparandis: ne unquam pluat in Ecclesia, vel Sacristia. Aquam ad lotionem manuum volentium celebrare & ministrare curet, & mantilia munda ad extersionem manuum: alia pro Sacerdotibus, & alia pro non Sacerdotibus. Provideat etiam de particulari Piscina in Sacristia vel Ecclesia; in qua lotiones rerum Sacrarum mittantur, quæ munda & honesta custodiatur: & in eam nulla alia ablutio mittatur. Item provideat ut Hostiæ sint pulchræ in pixide decenti, & vinum purum, & mundum, & aqua recens & munda in ampullis bene purgatis & nitidis, calices, vestimenta, Missalia, flabella tempore muscarum; & omnia alia necessaria pro Missis celebrandis, semper habeantur in promptu, & in certis & competentibus locis inveniantur & reponantur. Debet etiam habere curam, ut omnia vasa utensilia, & albæ atque Cottæ, Tobaliæ, Altarium, Corporalia, & Mantilia, & alia quæcunquè

linea

linea sic frequenter laventur in usus Altarium & Ministrorum; ut semper inveniantur munda, & nitida; & præcipuè ea, quæ sunt circa altaria, quæ non sufficit mediocriter esse munda; Corporalia & panni pro abstersione calicum lavanda sunt separatim ab aliis, & ablutio illa in piscinam Sacram est fundenda. Cum autem consumpta fuerint vetustate, comburantur; & cineres in eandem piscinam mittantur. Debet etiam cavere paramentis & ornamentis à putrefactione, & corrosione, quare interdum ad solem & àërem exponat, ut à tinea præseverentur: atque etiam curam habeat, ut ad minus semel in anno omnia dissuta resarciantur; & læsa in aliquo, sive vasa sint, sive paramenta reparentur. Non tamen vetera & minus utilia vendere vel distrahere debet inconsulto Priore, & Patribus Consilij: & si fieri potest hoc etiam fiat de scitu illius, cujus sumptibus & expensis illa fuerunt facta, & si vendantur: eorum pretium in aliquid utile pro ipsa Sacristia commutetur. Habeat etiam ibidem in Sacristia in tabula aliqua clarè & distinctè scriptas obligationes omnes perpetuas Missarum, Officiorum, & Anniversariorum: quas Fratres illius Conventus adimplere tenentur. Apud Vicarium verò, sive Subpriorem sit Capsa, in qua serventur pecuniæ Monasterij quocunq; modo habitæ seu Collectæ; sub duabus clavibus pariter differentibus: quarum altera apud Procuratorem, & altera apud Superiorem remaneat. Hujusmodi tamen Capsa habeat foramen, per quod immitantur pecuniæ: quæ seu in toto seu in parte non ex

trahántur, neque immittantur; nisi cum præsentia Prioris, Subprioris & Procuratoris: & tunc non nisi pro usibus necessariis Monasterij. Bona autem quæ ad Sacristiã pertinent absque Provincialis & Definitorum licentia inscriptis habita, nullatenus distrahantur, vendantur, aut pignori dentur, nec etiam commodentur absque licentia Prioris & Patrum Consilij. Quam licentiam non concedant nisi rationabili causa subsistente. Bonorum Sacristiæ duo Inventaria fiant: quorum unum sit in depositorio Conventus, ut per illud Provincialis, & Visitatores Sacristiam possint visitare, vel Prælati. Aliud juxta se teneat Sacrista: cui semper adiungat quidquid denuo factum fuerit. Caveat autem ne aliquid perdatur; sed potius laboret: ut in dies semper aliquid accedat. Postremo, quia in magnis Conventibus difficile est omnia supradicta ab uno executioni mandari; Sacristæ detur Socius, & inter se sic dividant supradicta: ut per eos sciente utroq; quid ad se pertineat, fiant ordinatius universa. Item Ordinamus; ut fiat Inventarium omnium Privilegiorum, scripturarum, & jurium Monasterij, quæ serventur in testitudine Sacristiæ in aliquo Scrinio, & loco tuto, sub duabus clavibus differentibus quarum una penes Procuratorem Monasterij; & alia penes Superiorem retineatur.

TER-

TERTIA DISTINCTIO CONSTITVTIONVM.

De Officio Procuratoris Conventus.

CAPITVLVM I.

QVilibet Conventus Noſtri Ordinis: in quo præter Priorem fuerint ad minus duo fratres, de familia habeat Procuratorem, qui ſit quoad fieri poteſt maturus, ſobrius, parcus; non turbulentus, non tardus, non prodigus, & diſsipator ſubſtantiæ Conventus, nec etiam avarus. Super omnia autem charitatem habeat ad omnes & cum non poterit opere ad minus, verbo fratribus ſatisfaciat. Quia ſcriptum eſt, ſermo bonus ſuper datum optimum. Sit præcipuè bonæ vitæ & famæ ne dum bonis temporalibus providetur, quicquam de pereat de bono nomine, & honore Monaſterij: qui longe & incomparabiliter pretioſior eſt, quibuſcunque commodis temporalibus Procuratoris Officium eſt ſolicite & diligenter inquirere: quid Conventui in Refectorio, quid Menſæ hoſpitum, quid neceſsitati expediat infirmorum, & charitativè providere, ne quantum in eo fuerit, & facultas domus permiſerit, Fratres infirmi ſive

ſani

ſani fuerint, incommodum patiantur. Sed hoc de voluntate Prioris tacita vel expreſſa faciat, ſine qua etiam aliquid expendere in Commune bonum ei non licet. Hic tempore ſilentij cum Infirmario, Foreſtario, Coco, Cellario, & famulis domus, de his quæ neceſſaria fuerint loqui poterit, diſcretè tamen: ne conceſſa ſibi poteſtate videatur abuti. Ejus etiam Officium eſt providere, quomodo poſſeſsiones Conventus meliorentur, & augmententur; & omnia quæ quocunq; modo Conventui obveniunt exigere, ac Prioribus & Depoſitarijs conſignare in depoſito, facere etiam omnes expenſas, niſi forte circa Sacriſtiam, vel ædificia Priori aliter viſum fuerit. Item ipſius intereſt, quæ emenda ſunt tempore ſuo emere, ſimiliter vendere; quæ fuerint vendēda: quod magna cum cautela faciendum eſt, ne ſcandalum oriatur. Viſitet etiam ſæpè poſſeſsiones Conventus, & Patribus Conſilij ſignificet; quot & qualia ſint bona, quæ poſsidet Monaſterium; & quamvis circa multa turbari & ſollicitari debeat; Silentium tamen, & quietem Cellæ non penitus abijcere debet: verum quantum Domus negotia patientur, ad Cellam tanquam ad tutiſsimum & quietiſsimum locum recurrat: ut legendo, orando, meditando, turbulentos animi ſui motus, ex rerum exteriorum cura, vel diſpoſitione ſurgentes, ſe dare poſsit. Procurator etiā de manibus Superiorum pecunias accipiat pro Monaſterij uſibus; & habeat tres libros in quorum uno notet quantitatem quæ illi ad effectus ſupradictos per dictos Patres quoties opus fuerit conſignabitur. In altero fideliter &

lingua latina describat reditus Monasterij, & Elèémosy-
nas, & oblationes, quæ singulis diebus colligentur, &
erogabuntur. Et in tertio notet expensas, quas ad usum
Monasterij & Fratrum fieri contingerit· Habebitquè
curam suppellectilis Monasterij: quam in Inventarium
quamprimum redigere curabit. Qui Procurator trime-
stri Capitulo rationem administrationis reddere teneatur.

De Studentibus.

CAPITVLVM II.

STatuimus, & decernimus ne aliquis ad studia admit-
tatur: neque pro studente ullo modo habeatur; nisi
primum fuerit in Grammaticalibus disciplinis sufficienter
instructus, quæ sufficientia cognita habeatur: ut cum
tempus advenerit, quo is in studentium numero esse po-
terit prius coram omnibus Patribus & singulis in eo Gy-
mnasio profitentibus diligenter examinetur· Prior au-
tem, sicut honorem & statum diligit; sic studium arden-
ter & solicite foveat, & studentibus pius & favorabilis
semper adsistat; & ad hæc suos Conventuales inducat,
& urgeat. Curet etiam Prior in quolibet Conventu, ut
studiosi nostri Ordinis, Primis Missis Conventualibus,
Vesperis, & Completoriis semper intersint: Matutinum
autem diebus Dominicis, & festis Semiduplicibus, & a-
liis maioribus semper in Choro cum aliis Fratribus can-
tent: Aliis vero diebus matutinum, & alias horas Ca-
Cano-

Canonicas in Capitulo suo, seu in Scholis dligenter & solicitè dicant. Lectores etiam unum ex illis Studentibus melioris vitæ famæ, atque opinionis aliis studentibus proponant, ad cujus mandatum omnes ad matutinum & alias horas Canonicas dicendas surgant, & conveniant, & in studio vigilent, & ad dormiendum tardiores fiant & ille qui sic Præpositus fuerit alios solicitet continue ad insistendum studia, & ad reddendum horas Canonicas DEO, & ad assistendum reverenter & devotè Priori in ijs, quæ pertinent ad honorem Ordinis; & ad bonum statum loci, & præfatis studiosis. Prior secundum possibilitatem loci vestimenta Monastica: scilicet tunicam, Scapularia, Caputia, Cappas, Camisias, calceamenta, libros, & alia necessaria diligenter provideat.

De Elèémosyna & Quæstu.

CAPITVLVM III.

STatuimus, ut Fratres terminarij visitantes terminos, & facientes quæstus, tenentur integro revelare, & præsentare Prioribus suis, & tribus Custodibus Convetus ea quæ de quæstibus suis, seu procurationibus in terminis acquisierunt, & nomina dantium Elèémosinas notabiles, sub pœna Carceris. Quicunq; autem Elèémosynam ex Fratribus Ordinis Nostri cujuscunq; generis pro Missa vel Missis dicendis; vel aliquo alio Officio cele-

brando

brando receperit ab aliquo præcipimus in ſvirtute Sanctæ Obedientiæ, ut infra Viginti quatuor horarũ ſpatium poſtquam ad Monaſterium pervenerit teneatur eam Priori vel Sacriſtæ integrè exhibere: qui contra fecerit, tranſacto termino Viginti quatuor horarum, quinq; diebus in terra ſedens, in pane & aqua jejunet; & ijſdem diebus recipiat diſciplinam, & Eleëmoſinam reſignare penitus compellatur. Prior autem vel Præſidens ad manus acceptam publicabit eam, omnibus Fratribus ad Menſam ſedentibus: vel in Capitulo, vel in alio loco pro tempore; & communem Orationem Fratribus pro benefactoribus noſtris injunget.

De Honeſtate ſervanda extra Monaſterium.

CAPITVLVM IV.

QVia certum eſt, quod ſicut vera & fervens Charitas in conſpectu DEI eſt: ſic Religionis honor & decus in intuitu Sæcularium & ſpectantiũ conſiſtit aſpectu. Idcirco Ordinamus, ut Fratres exeuntes Monaſterium cujuſcunq; Gradus & Conditionis exiſtant; non exeant, niſi petita venia à Priore, & obtenta, & ſic incedant bini, & æqualiter ambulantes, ea cum honeſtate & modeſtia: Vt populus ex inceſſu eorum, exemplo & colloquio ædificetur bene; & ut omnes portent Capucium extra Conventum,

ſub

sub poena privationis loci, & vocis, locum & vocem habentes: Reliqui autem sub poena unius disciplinæ. Item. Ordinamus, præcipimus, & Mandamus: ut nullus Frater posit aliquomodo exire Monasterium, præterquam bis in hebdomada, & hoc faciat cum interpellatione dierum; & semper cum Socio sibi à Priore designato: nisi in his adsit necessitas per Subpriorem. Advertant autem Priores, ut sic accomodent Socios; ut ipsi etiam Laici plures non exeant: Exeuntes autem Fratres petant benedictionem, & reversi præsentent se Priori; iterum benedictionem habituri. Diebus autem Dominicis, & Festis majoribus, nullo pacto volumus, ut etiam à Priore quispiam possit veniam exeundi obtinere. Non licet enim ut diebus DEO Sanctisq; dicatis, quibus ipsi etiam Sæculares desistunt ab opere. Religiosi non assiduè Ecclesiæ serviant, & dent operam Sacris, nisi forte urgens aliqua exeundi necessitas alicui intervenerit, quam tamen Priori committimus dignoscendam, nunquam tamen sine Socio cuiquam in aliquo casu exire licebit.

De Domibus Concedendis.

CAPITVLVM V.

NVlla Domus concedatur nisi à Priore Provinciali, & à Definitoribus Provincialis Capituli fuerit postulata, nec concessa ponatur: nisi ubi Prædicti Definitores viderint expedire. nullus audeat instare, vel rogare pro bene-

beneficijs, suis consanguineis obtinendis. Item, nulla domus transferatur de Provincia ad Provinciam: nisi à Capitulo fuerit approbatum. Ordinamus etiam, ut nulli Civium nostrorum vel subditorum nostrorum Privilegia advitalitatis sine Capitulo Generali, vel Provinciali omnino dentur, sub pœna excommunicationis, & privationis cujuscunque modi sit ille Superior, vel Officialis ab Officio, & beneficio tam activæ vocis & passivæ.

De Receptione ad Religionem.

CAPITVLVM VI.

IN quolibet Conventu tres Fratres eligantur idonei de Communi Consilio Capituli: qui recipiendos iuniores, & scientiam diligenter examinent; & examinationes Priori & Capitulo referant: eorum judicio an recipi debeant reliquendo. Qui dum adducti fuerint in Capitulum, in medio se prosternant. Interrogati vero à Prælato, quid quærant respondeant: Misericordiam DEI, & vestrum quibus ad iussum Prælati erectis, exponat eis austeritatem Ordinis; voluntatem eorum requirens, qui respondeant se velle cuncta servare. Ille autem dicat post cætera: Dominus qui incæpit ipse perficiat. Conventus respondeat. Amen. Tunc depositis Secularibus vestibus, Religiosis præter Crucem Scapularis: quæ non ponitur, nisi in eorum professione in nostram Societatem in Capitulo recipiatur. Verumtamen antequam

 stabi-

ſtabilitatem, & Communem vitam promittant, & obedientiam Prælato, & Succeſſoribus ſuis faciant; tempus uſque ad annum eis probationis aſsignetur. Nullus recipiatur, niſi requiſitus, an conjugatus ſit iuxta formam Conſtitutionis, de Recipiendis. SIXTI V. ac moderationem SS. Domini CLEMENTIS VIII. M. DC. III. an Servus, an ratiotimis obligatus, alterius poſſeſsionis; vel ocultam habeat infirmitatem, an legitime natus: nam ad Religionem noſtri Ordinis nullus admittatur, qui ex honeſtis parentibus non ſit natus, quo ſpiritu, qua mente, ac voluntate id regularis vitæ genus elegerit, quem ſibi finem propoſuerit? num zelo melioris frugis ac perfectionis vitæ, & ut DEO, ac D. N. liberius famulari poſsit. An potius levitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi motu ducatur; & an eorum parentes, ope & ſubſidio ipſiq; indigentes deſtituantur. Nullus recipiatur in Fratrem Clericum; niſi à Priore Provinciali, vel ab eo, cui ſuper hoc licentiam dederit ſpecialem, vel à Priore Conventuali, cum aſſenſu totius; uel majoris partis Capituli. Converſum verò non recipiat Priori Provincialis: nec aliquis de ejus licentia niſi cum conſenſu Conventus; nec Conventus aliquis recipiat Converſum ſine licentia Prioris Provincialis. Nullus Converſus recipiatur; niſi poſt vigeſimum ætatis ſuæ annum. Novitij quotidie Miſſæ Sacrificio interſint: & Statutis Horis, in Choro, Nocturnis diurniſq; Officijs aſſiſtant. Superior cuiuſlibet Conventus, aut Monaſterij, in quo Novitiatus fuerit Conſtitutus, particularem librũ

hadeat::

habeat: in quo uniuſcujuſq; Novitij profeſsioné inſcribat; illamq; Novitius profeſſus propria manu, & duo teſtes, qui præſentes fuerint ſubſcribant. Converſus vero literarum ignarus profeſſus, in eorundem teſtium, qui ſe ſubſcripſerint præſentia propria manu ſignum Crucis apponat, aſſervetur q; liber; & cuſtodiatur in Archivio, ubi ſcripturæ ad Monaſterium, ſeu Conventum pertinentes reponi conſveverunt.

De Novitijs & eorum Instructione.

CAPITVLVM VII.

PRior Magiſtrum Novitiis diligentem, ad inſtructionem eorum præponat, qui eos doceat de Ordine in Eccleſia, excitet; & ubicunque ſe negligenter habuerint, verbo, vel ſigno quantum poterit emendare, emendet. Neceſſaria prout poteſt debet eis procurare. De apertis negligentijs cum petierint, pænitentiam dare; vel eos in ſuo Capitulo proclamare, humilitatem cordis & corporis doceat eos habere, iuxta illud: Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. Frequenter integrè, purè, & devotè doceat confiteri, ſine proprio vivere; & propriam voluntatem deſerere. Ad voluntatem Prælati ſui obedientiam promptam in omnibus habere: quomodo, ubique, & in omnibus debeat ſe gerere, ipſos debet inſtruere, quem locum ſibi aſsignatum ubiquè tenere debeant: quomodo ſibi danti aliquando, vel auferenti ali-

ti aliquid, vel benedicenti, vel reprehendenti Caput inclinare debeant, qualiter se in cubiculis gerant; ut oculos sublimes non habeant, quomodo orent, & quam silenter: ne aliis strepitu distractionem faciant, quomodo venia in Capitulo, & ubicunq; reprehensi fuerint à Prælato sit petenda. Si quis autem Fratrem suum aliquando scandalisaverit: tam diu ante pedes ejus iaceat prostratus, quousq; placatus erigat eum. Instruendi etiam sunt Novitij: ut cum nemine contendere præsumant; & in omnibus Magistro suo obediant. In Processione Socium sibi Collateralem quisq; attendat, & non loquatur locis & temporibus interdictis, neminem penitus judicent. Sed si quæ ab aliquo fieri videant; licet mala videantur: bene tamen interpretentur, vel bona intentione facta. Sæpè etenim humanum fallitur judicium: non loquantur de absente, nisi quæ bona sunt. Disciplinas frequenter suscipiant, & sedendo diligenter, libros, & vestes, & res alias Monasterij custodiant; si quod petitum fuerit ab uno Priore, non petatur ab alio, nisi causa exposita; sed nec si à majore petierint, vadant ad minorem. Item, Confessiones Novitiorum, ante professionem recipiantur; & diligenter de modo Confessionis instruantur. Item, Novitij ante Professionem debitis se expediant; & omnia alia ad pedes Prioris ponant: ut se ex toto absolvant. Similiter omnes Fratres singulis annis, semel omnia sibi Commissa, Prioribus suis exponant, pariter & exhibeant eorum dispositioni relinquendo. Item, Novitij infra tempus probationis suæ: Psalmodiæ & Officio divino

studeant

ſtudeant diligenter. Item, infra annum ad longinquas partes niſi ob cauſam neceſſariam Novitij non mittantur; nec in aliquo Officio occupetur; nec veſtes eorum ante profeſsionem alienentur. Item, Novitij non interſint Capitulo: nec in dormitorio cum aliis Fratribus iaceant; ubi commodius hoc poterit obſervari. Sed Magiſter eorum culpas extra Capitulum audiat: ipſos ubi poterit in moribus inſtruat, & charitat vè corripiat.

De Modo induendi Novitios.

CAPITVLVM VIII.

COnvenientibus primum Fratribus in unum univerſis: illos qui induendi ſunt iubeant coram Altari proſterni; & Fratres ſimiliter flexis genibus dicant hos Pſalmos. Conſerva. &c. Iubilate DEO omnis terra. &c. Quam dilecta &c. cum Gloria Patri. &c. Quo finito, ita ut ſic genibus provoluti, dicant has

LITANIAS:

Kyrie eleyſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleyſon.
Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.
Pater de Cælis DEVS, Miſerere nobis.
Fili redemptor mundi DEVS, Miſerere.
Spiritus Sancte DEVS. Miſerere.
Sancta TRINITAS unus DEVS, Miſerere.
Sancta MARIA, Ora pro nobis.
Sancte Pater AVGVSTINE, Ora pro nobis.

 Omnes

Omnes Sancti Beatorum Spirituum Ordines. Orate.
Omnes Sancti Patriarchæ & Prophetæ. Orate.
Omnes Sancti Apoſtoli & Evangeliſtæ. Orate.
Omnes Sancti Martyres. Orate.
Omnes Sancti Conf ſſores, Orate.
Omnes Sanctæ Virgines, & Viduæ. Orate.
Omnes Sancti & Sanctæ DEI, Intercedite pro nobis.
Propitius eſto, Parce nobis Domine.
Ab immunditia mentis & corporis, Libera nos Domin.
Ab omni peccato, Libera.
A damnatione perpetua, Libera.
Ab omni malo, Libera.
Per Myſterium Incarnationis tuæ. Libera.
Per Paſsionem, Reſurrectionem, Aſcenſionem tuam. L.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Vt pacem & concordiam, & tranqillitatem nobis dones. Te rogamus audi nos.
Vt hunc famulum tuum in caſtitate vera & paupertate perſeverare facias, Te rogamus audi nos.
Vt augmentum fidei, ſpei, & Charitatis nobis dones, Te.
Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, Te rogamus audi uos.
Vt nos exeudire digneris, Te rogamus.
Fili DEI, Te rogamus.
Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis.
Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleyſon, Chiſte eleyſon, Kyrie eleyſon.

Pater noſter &c.

Salvum fac servum tuum. DEus meus sperantem in Te.
Mitte ei auxilium de Sancto; & de Sion tuere eum,
Nihil proficiat inimicus in eo.
Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
Esto ei Domine Turris fortitudinis.
A facie inimici.
Domine exaudi. &c. Dominus vobiscum. &c.

Oremus.

DEVS, qui per Coæternum tibi filium tuum cuncta creasti: quiq; mundum inveteratum per Mysterium Sanctæ Incarnationis ejus renovare dignatus es; te suppliciter exoramus, ut ejusdem Domini nostri gratia super hunc famulum tuum abrenuntiationem seculi profitentem respicere digneris; per quam in Spiritu mentis suæ renovatus, veterem hominem exuat: & novum, qui secundum DEVM Creatus est induere mereatur. Per eundem Christum, &c.

O R A T I O.

DOmine IESV Christe, qui es via, sine qua nemo venit ad Patrem: quæsumus benignissimam Clementiam tuam, ut hunc famulum tuum à carnalibus desideriis abstractum per iter disciplinæ regularis deducas in Cælum. Et qui peccatores vocare dignatus es dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: præsta ut hæc vox imitationis tuæ; ita in eo convalescat, quatenus peccatorum onera deponens, & quam dulcis es gustans, tua refectione sustentari mereatur;

Vt

Vt ſicut tuis ovibus eum aſciſcere dignatus es; agno-ſce eum inter oves tuas: ac ipſe te ita cognoſcat, ut a lienum non ſequatur, neque audiat vocem alienorum; ſed tuam quæ dicit: Qui mihi miniſtrat, me ſequatur. Qui cum Pater, &c.

O R A T I O.

SAncte Spiritus: qui te DEVM ac Dominum revelare dignatus es mortalibus; immenſam pietatis tuæ gratiam poſtulamus: Vt ſicut ubivis ſpiras ſic & huic famulo tuo affectum devotionis indulgeas; ut qui tua Sapientia eſt conditus, tua providentia gubernetur: quem juxta conſvetam tuam gratiam unctione tua digneris. Et per interceſsionem Beatiſsimæ & Glorioſiſsimæ Virginis MARIÆ. Et Apoſtolorum Petri & Pauli & Patris noſtri AVGVSTINI, Michaelis Confeſſoris Inclyti, & aliorum omnium Sanctorum, fac eum à vanitatibus ſeculi veraciter converti. Et ſicut es omnium peccatorum remisſio: ita deprimentes impietatis obligationes in eo diſolve; & ad obſervantiam hujus Sancti propoſiti fac eum ita fervere: ut in tribulationibus & anguſtiis tua indeficiente conſolatione valeat reſpirare: Vt qui per veram humilitatem, atque obedientiam in fraterna Charitate fundatus: quod te donante promittit felici perſeverantia præſtare valeat. Qui cum DEO Patre, &c.

Præcipimus autem omnibus Prioribus, ut Profeſsio non fiat ante decimũ ſextum annum: ſed eo expleto poſt ſuſceptum habitum per annum in probatione ſteterit; tunc denuo ad profeſsionem admittitur, juxta SS. Triden-

dentinum Concilium. Novitiorum autem veſtes in eorum profeſsione, Cruce in Scapulari poſito benedicantur hoc modo. ℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. Et ſalutare. &c. Domine exaudi. &c. Dominus vobiſcum. &c.

O R A T I O.

Oremus.

DOmine IESV Chriſte, qui tegumentum mortalitatis noſtræ induere dignatus es: Obſecramus immenſæ clementiæ, & largitatis tuæ abundantiam: ut hoc genus veſtimentorum, quod Sancti Patres ad innocentiæ & Sanctitatis indicium ferri ſanxerunt: ita benedicere digneris; Vt hic famulus tuus, qui eo uſus fuerit indumento, te induere mereatur, Chriſtum Dominum noſtrum. &c. Deinde aſpergantur veſtes aqua benedicta. Tunc Superior iubeat eum ſurgere, & exuere eum ultimam veſtem & dicat: Exuat te Dominus veterem hominèm cum actibus ſuis. Sacerdos induens eum habitu Religioſo dicat. Induat te Dominus novum hominem, qui ſecundum DEUM creatus eſt in juſtitia, & Sanctitate veritatis. Amen

Tunc dican Pſalmum: Levavi oculos meos. &c. Cum Gloria. &c.

O R A T I O.

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris: ut hunc Famulum tuum benedicere digneris· cui Nomine Tuo Religionis imponimus habitum; ut te largiente devotius in Ordine perſiſtat, & vitam æternã conſequi mereatur. Per Chriſtum. &c.

Modus Faciendi Professionem.

PRimo ſedeat Prior, & cæteri poſt eum, & Novitius accipiat Regulam Sancti Patris noſtri AVGVSTINI; & deponat eam apertam in manibus Prioris; & ponens manus ſuas ſuper eam, in manibus Prioris profiteatur hoc modo. Ego N. Facio Profeſsionem & promitto Paupertatem, Caſtitatem, & Obedientiam DEO: & Beatæ MARIÆ, & Beato AVGVSTINO, & tibi N. Priori Generali Ordinis Fratrum de Pœnitentia Beatorum Martyrum, & Succeſſoribus tuis: Secundum Regulam Beati AVGVSTINI. Et Conſtitutiones Ordinis Fratrum Beatorum Martyrum; & ero obediens tibi, tuiſq; Succeſſoribus uſque ad mortem. Cum autem Priori alij cuicunque facienda erit, ſic facienda eſt. Ego N. Facio profeſsionem, & promitto Paupertatem, Caſtitatem Obedientiam DEO, & Beatæ MARIÆ, Beato AVGVSTINO: & tibi N. talis loci vice Generali Ordinis de Pænitentia Beatorum Martyrum. &c. Prior dicat. Et Ego authoritate qua fungor accepto profeſsionem tuam; & unio te Corpori Myſtico Noſtræ Sacræ Religionis, & Filium facio hujus Conventus noſtri. N. talis loci. In nomine Patris ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ✠ S. Amē.

Deinde Prior aſpergendo eum aqua benedicta, dicat: Pater noſter. Et ne nos inducas. Et Ver. Immola DEO Sacrificium laudis; Et redde Altiſsimo vota tua. Domine exaudi. &c. Dominus vobiſcum, &c.

ORE-

Oremus.

OMnipotens ſempiternè DEVS, qui renuntiantibus ſeculo, manſiones paras in Cælo: dilata Fratrum noſtrorum corda Cæleſtibus bonis; ut fraternæ teneantur compagine Charitatis: Vnanimes præcepta cuſtodiant, ſobrij, ſimplices, & quieti. Concordet illorum vita cum nomine; ut protectionis tuæ muniti præſidijs, quod te donante incipient, fervente ad ea; quæ perſeverantibus in te promittere dignatus es pertingere mereantur. Per Dominum noſtrum. &c. Amen.

De Laicis & Converſis.

CAPITVLVM IX.

ORdinamus, ut in Conventibus noſtris ſit conveniens numerus Fratrum Laicorum & Converſorum: qui Clericis cum opus fuerit inſerviant. Obſequiiſq; vilioribus Conventuum occupentur, iuxta diſpoſitionem Præſidentis: & non recipiantur ad habitum noſtrum, niſi prius recte ſciverint. Pater noſter, Ave MARIA, &c. & Credo. Laici ubicunq; fuerint, ſive in Conventu ſive extra ſemper faciant Fratribus Clericis reverentiam, & præcipuè exiſtentibus in Sacris Ordinibus; ſed potiſsimè Sacerdotibus, eis humiliter reſpondendo, & cedendo: ſub pœna gravioris culpæ (quoties deprehenſi fuerint) infligendæ. Fratres vero Laici non portent Coronam;

laborent non solum intra Conventum, sed etiam extra, quilibet in arte sua & opere suo: vel quocunque alio, sub pæna inobedientium eis infligenda: Quod etiam & de Conversis intelligi volumus.

De Levi Culpa.

CAPITVLVM X.

LEvis culpa est. Si quis mox ut signum datum fuerit; non relictis omnibus cum matura festinatione differat se præparare ut ad Eccsiam Ordinate & Composité quando debuerit veniat. Si quis ad Gloria Patri &c. Primi Psalmi non affuerit; & ad gradus Altaris non satisfecerit. Si quis in Choro male legendo, vel cantando offenderit: & non statim se coram omnibus humiliaverit. Si quis divino non intentus Officio vago aspectu, & motu irreligioso levitatem mentis ostenderit. Si quis in Ecclesia, vel in dormitorio, vel in Cellis aliquid inquietudinis fecerit. Si quis in Choro riserit, vel alios ridere fecerit. Si quis lectionem Statuto tempore non præviderit. Si quis cantare, vel legere aliquid præsumpserit; quam quod Communis usus probat. Item levis culpa est. Si quis in prædicationem vadens otiosa locutus fuerit, vel legerit. Si dissolute ridens, cachinnis vel ludis, dictis, vel factis alios ad ridendum concitaverit. Si oculos vagos, per plateas, vel villas eundo ad vanitates, frequenter direxerit. Si quis in vigilia Anuntiationis, & Nativitatis

vitatis Domini, in principio Capituli per negligentiam non affuerit: ut pronuntiatis nostræ redemptionis exordijs, corde & Corpore gratias agat DEO Redemptori. Si quis de via veniens, eadem hora si fieri potest, benedictionem accipere neglexerit; vel absque ea plus una noctè moraturus exierit. Si quis ad lectionem dormierit. Si temporibus Statutis cum aliis lectionem auditurus non affuerit. Si quis vestem suam vel libros loco Statuto honeste non deposuerit, vel negligenter tractaverit. Si libros interdictos legerit. Item levis culpa est, Si quis Ecclesiæ, vel Altaris ornamenta negligenter tractaverit Si indumenta data fartri, vel concessa, sine Prioris licentia per se ab aliquo acceperit, Si aliquid utensilium fregerit, vel perdiderit. Si quid cibi, vel potus ebiberit, vel effuderit. Si liber in quo legendum est cujusquam negligentia defuerit. Si quis dixerit aliquid, vel egerit; Vnde offendantur Fratres. Si quis cibum, vel potum absque benedictione sumpserit. Si quis in Conventu hora qua debet venire distulerit: Si quis ad Capitulum vel Collationem non venerit; vel communi refectioni non interfuerit. Si quis Commune mandatum dimiserit. Si quis eum à quo manifestatus fuerit eodem die quasi vindicando manifestare præsumpserit. Si quis manifestans in proclamatione suum judicium fecerit. Item levis culpa est, si quis cum juramento, ut in loquendo fieri solet aliquid negaverit, vel affirmaverit. Si quis turpem sermonem, vel vaniloquium dixerit, vel quod gravius est in usu habuerit. Si quis eorum qui

Officiis sunt deputati in aliquo negligens repertus fuerit: ut sunt Priores in Conventu custodiendo, Magistri in docendo, Studentes in studendo, Scriptores in scribendo. Cantores in Officiis suis. Procuratores in procurandis exterioribus. vestiarius in providendis vestibus & custodiendis, & reficiendis. Infirmorum custos in valetudinariis, vel infirmis custodiendis, & procurandis; & Mortuis necessaria ministrando. Et cæteri in Officiis suis, ut iniunctum est eis. Clamantis vel proclamantibus se de supradictis detur pænitentia Secundum quod Prælato videbitur.

De Gravi Culpa.

CAPITVLVM XI.

GRavis culpa est, si quis in honeste in audientia Sæcularium cum aliquo contenderit. Si Frater cum Fratre intùs vel foris lites habuerit. Si quis alicui Fratrum opprobrium dixerit. Si quis mendacium de industria dixisse deprehensus fuerit. Si quis silentium non tenere in consvetudinem duxerit. Si quis culpam suam vel alterius defenderit. Si quis clamans in proclamatione sua iurgium fecerit. Si quis in illum à quo proclamatus est vel in quemlibet alium maledicta seu inordinata verba vel irreligiosa maliciosè invexerit. Si quis Fratri præteritam culpam pro quâ satisfecerit impugnaverit. Item Gravis culpa est, si quis mala de Patribus, vel Fratribus

vel

vel de moribus suis malitiosè evomuerit, quæ testimonio Fratrum suorum probare nequiverit, Si quis absque licentiâ & magna necessitate equitaverit, vel Si quis procedens ubi fæminæ sunt oculum fixerit. Si tunc hoc in usu habuerit vel cum fæmina solus non de Confessionibus vel honestis locutus fuerit. Si quis jejunia ab Ecclesia instituta fregerit sine causa & licentia pro hujusmodi culpis ex his similibus veniam petentibus, & non pro clamatis, tres correctiones in Capitulo dentur, & tres dies in pane & aqua jejunent clamatis vero una dies & una correctio superaddantur. Præter hoc ei Psalmi & veniæ secundum quod discretioni Rectoris visum fuerit: pro qualitare culparum injungantur. Eadem pæna digni sunt qui postquam missi fuerint, sine licentia reverti præsumpserint vel ultra terminum sibi assignatum moram fecerint, sine rationabili causa. Vel si quis pro victu & vel qualibet alia re murmuraverit, caveat autem quilibet Frater ne proclamet aliquem in Capitulo de crimine nisi possit probare, quodsi accusatus negaverit, & accusans in probatione defecerit secundum exigentiam culpæ gravius puniatur ne autem vitia occultentur Prælato suo denuntiet, quod viderit vel audiverit.

De Graviori Culpa.

CAPITVLVM XII.

GRavior culpa est: Si quis per Contumaciam vel manifestam

nifestam

nifestam rebellionem inobediens Prælato suo extiterit, vel cum eo intus vel foris proterve contendere ausus fuerit, si quis crimen Capitale commisserit. Si quis procuraverit quod ipse vel aliquis alius eximatur, à Potestate Prælati sui. Si quis rem sibi collatã maximè celaverit. Quem Pater AVGVSTINVS furti iudicio dicit esse condemnandum. Si proclamatus convictus fuerit sponte surgat, & veniam petens sceleris sui immanitatem lamentabiliter proferat, & denudatus, ut dignam accipiat pænitentiam vapulet, quantum placuerit Prælato. Et sit omnium Novissimus in Conventu, ut qui culpam perpetrando, non erubuit membrum Diaboli fieri ad tempus ut resipiscat sequestretur à consortio ovium Christi. In Refectorio quoq; ad communem mensam cum cæteris non sedebit, sed in medio Refectorij super nudam terram comedet, & providebitur ei seorsim panis grossior, & potus aquæ, nisi Prælatus ei per misericordiam aliquid impendat. Nec reliquiæ prandij sui cum aliis admisceantur, ut cognoscat seipsum ita sequestratum esse à Consortio aliorum, quod privetur: nisi per pœnitentiam redeat Consortijs Angelorum. Ad horas Canonicas & ad Gratias post comestionem ante ostium Ecclesiæ transeuntibus Fratribus prostratus iaceat, dum intrant & exeunt. Nullus vero audeat se coniungere illi, vel aliquid mandare. Prælatus tantum ne in desperationem labi possit mittat ad eum qui est in Graviori culpa seniores qui commoveant eum, ad pænitentiam provocent ad patientiam, foveant per Confessionem, hortentur ad satisfa-

tisfa-

tisfactionem adiuvent per suam intercessionem. Si viderint in eo humilitatem cordis quibus etiam suffragetur totus Conventus, nec renuat Prælatus facere cum eo misericordiam, & si videbitur ei vapulet, ad pedes singulorum primo Prælati deinde utriusq; lateris sessorum Talis quamdiu erit in Pænitentia non communicet nec eat ad osculum pacis. Si Prædicator est Officium Prædicatoris non exerceat nec vocetur ad aliquod Officium in Ecclesia nec ulla ei committatur obedientia ante plenariam satisfactionem. Si fuerit Sacerdos vel Diaconus ijs Officijs non fungantur nisi postea Religiose conversati fuerint. Si quis autem in peccatum carnis (quod DEVS avertat) lapsus fuerit ipsum non solum supradicta pænitentia sed gravius puniendũ censemus. Si quis tale quid extra Monasterium commiserit. Frater qui cum eo est studeat excessum eius quam citius corrigendũ Prælato intimare. Correctus ad locũ in quo tale quid cõmiserat ulterius non redeat nisi Religiose conversatus fuerit quod Generale vel Provinciale Capitulum illum ipsum censeat reversurum. Si vero peccatum tale occultum fuerit disquisitione secreta secundum tempus & si Personam condignam agat pænitetiam. Si quis autem peccaverit & confiteri voluerit Socio suo illud cognoscenti Frater Confessionem ejus non recipiat nisi tali conditione ut cum opportunitas fuerit ipsum posit proclamare. Si qui vero per conspirationem vel malitiosam concordiam adversus Priorem vel Prælatos suos manifeste se erexerint hi prædicto modo pæniteant & de cætero in omni vita

N   sua

ſua extremum locum ſui Ordinis teneant, & vocem in Capitulo niſi in ſui accuſationem non habeant, neq; eis obedientia aliqua injungatur. Si qui tamen Fratres non malitioſe ſed in veritate adverſus ſuum Prælatum aliquid invenerint quod tolerari non decet nec poteſt prius eum inter ſe cum omni humilitate & charitate de ſua correctione admoneant, quod ſi frequenter admonitus ſe corrigere neglexerit aut contempſerit Priori Provinciali ſignificetur vel Viſitatoribus cum ad eandem domum venerint viſitandi cauſa manifeſtè indicetur & Definitoribus Capituli Generalis vel Provincialis ſignificetur, aliter Prælatos ſuos ſubditi diffamare non præſumãt. ℟. PP. placet.

De Graviſſima Culpa.

CAPITVLVM XIII.

GRaviſsima culpa eſt, incorrigibilitas illius, qui nec culpas timet admittere; & pænam recuſat ferre. De quo Præceptum eſt Patris noſtri AVGVSTINI: ut etiã, ſi ipſe non abſceſſerit, de noſtra Societate proiiciatur, ſecundum Apoſtolum, qui Hæreticum hominem poſt correctionem adhibitam, & incorrigibilitatem patefactam devitare jubet; tanquam peccantem peccatum ad mortem, quia ſubverſus eſt, qui huiuſmodi eſt, hic etiam habitu exutus, & veſtibus ſecularibus indutus exire compellendus eſt. Et ita ſicut à corde profeſsionem abiecit, Sic & accepta profeſsionis inſignia deponere cogatur.

tur. Si tamen usque ad horam illam sani corporis & in tegri sensus extiterit: Nemini vero sub qualibet occasione est unquam danda licentia recedendi. Ne Ordo & Canonica disciplina veniat in contemptum, dum habitus religionis Canonicæ despicitur in indignis. Placet Resp: Patres.

De Falsificatoribus Literarum.

CAPITVLVM XIV.

NVllus Frater literas aliquas Generalis Conventualis, Provincialis, Prioris: vel alicujus Officialis nostri Ordinis audeat destruere, aperire vel occultare. Si ali quis convictus fuerit, quod tale fecerit, per Mensem pænæ gravioris culpæ subiacere cogatur. Qui autem literas; vel sigilla prædictorum falsificare præsumpserit, pœnæ gravioris culpæ duobus Mensibus subiaceat, & ineligibilis per tres annos ad omne Officium nostri Ordinis permanebit. Eidem pœnæ subiaceat, qui indulgentias, vel Privilegia, aut instrumenta publica in favorem Ordinis; vel alicuius domus, seu Fratris, vel cuiusq; personæ concessa destruere fuerit ausus, vel alienare. Falsificationem autem intelligimus demere, vel addere aliquid in literis, vel de literis: quod sensum; vel tenorem literæ in aliquo commutet, seu aliquid facere contra intentionem illius, cuius in ipsis literis nomen appositum est, vel Sigillum, vel signum. Placet. Resp: PP.

CAPITVLVM XV.

QVicunq; apostataverit: si infra quadraginta dies non redierit, depositis vestibus in Claustro nudus, cum virgis in Capitulum veniet; & prostratus culpam suam dicet, & humiliatus veniam petat: & quamdiu Prælato placuerit; pænis gravioris culpæ subiacebit: & in Capitulo nudum se præsentabit, semel in singulis septimanis intra hoc tempus pænitentiæ ubique in Conventu novissimus erit; & duobus diebus in qualibet Septimana per annum jejunabit, in pane & aqua: & peracta pænitentia, nunquam ad Priorem locum redeat; nisi per Definitores cum eo Provincialis Capituli fuerit dispensatum: ita tamen, ut anni quibus in apostasia fuerit non computentur; & quantum ad locum attinet; sit sub omnibus illis, qui habeant plures annos in ordine quam ipse habuerat quando exivit. Quod si denuo fugerit, & iterum redierit, supradicto modo pæniteat, & priori anno secundus addatur. Si tertio, tertius. Si quarto, quartus. Omnibus tamen Fratribus pro huiusce modi pænitentibus, humiliter in Capitulo deprecantibus; Prælatus, cum eorum pœnitentiam perspexerit: eis indulgere vel remittere poterit. Secundum quod eius discretioni visum fuerit vel placitum. Si quis in Apostasia ordinatus fuerit; vel post excummunicationem divina præsumpserit celebrare in ea, executione Officij perpe-

tuo carebit: nisi fortè postea religiosè conversatus fuerit, ut cum eo authoritate sedis Apostolicæ dispensetur. Qui vero semel apostataverit, vel de lapsu carnis manifestè convictus fuerit, de cætero non prædicet, nec audiat Confessiones, nisi per Definitores, Generalis vel Provincialis Capituli fuerit restitutus. Placet Resp: Patres.

De Capitulo Quotidiano.

CAPITVLVM XVI.

INgressis Fratribus Capitulum; Lector pronuntiet Lunam, & quæ de Calendario pronuntianda sunt; & Sacerdos prosequatur. Pretiosa in conspectu, &c. Deinde residentibus Fratribus Lector prænuntiet lectionem de institutionibus, vel Sacra Scriptura pro tempore præmisso. Iube Domine benedicere; & Hebdomadarius subjungat benedictionem. Regularibus disciplinis: Nos instruere dignetur Magister Cælestis, vel Divinum auxilium, pro tempore. Respon. Amen. Tunc legat Lector usque ad signum Præsidentis. Quo facto, dicat Legens: Tu autem Domine miserere nobis. ℟. Deo gratias. Deinde dicat qui tenet Capitulum: Benedicite. ℟. Dominus inclinet omnes. Deinde recitatis beneficiis, & dicto à Priore: Retribuere dignare omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam, Amen. Dictis etiam à Conventu Psalmis: Ad te levavi. & De profundis. &c. Kyrie eleison. &c. Pater noster. &c. additis etiam tribus versiculis: Scilicet

Oremus pro Domino Papa. &c. Salvos fac ſervos tuos. &c. Requieſcant in pace. ℟. Amen. Ab Hebdomadario dicendum cum his tribus Collectis:

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEVS, qui facis mirabilia magna, ſolus prætende ſuper Famulos tuos, & ſuper cunctos illis commiſſos Spiritum gratiæ Salutaris; & ut in veritate tibi complaceant: perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde.

DEVS omnium fidelium Paſtor & Rector famulum tuum N. quem Paſtorem Eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti propitius reſpice: Da ei quæſumus verbo & exemplo proficere, ut ad vitam una cum grege ſibi credito perveniat ſempiternam.

Prætende Domine famulis tuis, & famulabus tuis dexteram cæleſtis auxilij: ut te toto corde perquirant; & quæ dignè poſtulant conſequi mereantur. Per Chriſtum Dominum. &c. Fidelium DEVS. &c. Reſideant Fratres. Tunc Prælatus poterit dicere breviter, ſi quid ad honeſtum & correctionem viderit expedire. Poſt hæc egrediantur Novitij: quibus egreſsis dicat qui præeſt, ut aperiant culpas ſuas; qui ſe reos exiſtimant. Continuo, qui ſe reos intellexerint, proſtrati veniam petant. Deinde ſurgentes, humiliter confiteantur culpas ſuas; & quorum culpa talis eſt quæ digna eſt correctione: præparent ſe ad correctionem, quam Prior faciet, vel ille cui ipſe innuerit. In Capitulo vero Fratres: niſi

duabus

duabus ex causis non loquantur; sed culpas suas vel aliorum dicendo simpliciter. Et Prælatus suis tantum modo ad interroganda respondendo. Vno etiam stante, & loquente; alius non loquatur. Nullus faciat proclamationem super aliquem ex sola suspicione. Item nullus accuset de auditu; nisi dicat à quo audierit. Auditis vero culpis, similiter quisque caveat; ne malum quod auditur de alio alteri referat: nisi dicat à quo audierit. Auditis vero culpis dicitur. Psalm. Laudate Dominum omnes gentes. cum versu. Ostende nohis Domine Misericordiam tuam. &c. Dominus vobiscum. *Oremus.* Actiones nostras quæsumus Domine. &c. In fine dicat Prior. Adiutorium nostrum. &c. Et sic absolvuntur. Responderunt Patres: Placet.

Forma Absolutionis ab Excommunicatione majori.

VEniens ad Capitulum pænitens denudatus cum disciplina manibus complexis genu flexus dicat coram Superiore humiliter Venerande Peter pænitet me peccasse. Superior vero respondeat quid vis ut faciam tibi, Pænitens vero dicat Pænitentiam rogo. Post hæc faciat Superior ad pænitentem sermonem brevem de gravitate pèccati & necessitate pænitentiæ. Quo finito pænitens dicat Psalmum Deprofundis dicendo vero percutiat se ipsum (sive Superior) disciplina ad quemvis versum. Quo facto Superior surgat & supra pænitentẽ dicat versus.

℣. Sal-

℣. Salvum fac Servum tuum. ℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Eſto ei Dñe Turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et Filius iniquitatis. &c.
℣. Domine exaudi Orat: &c. ℟. Et clamor meus. &c.
℣. Dominus Vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

O R E M V S.

DEVS cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere ſuſcipe deprecationem noſtram, ut hunc Famulum tunm N. quem delictorum catena conſtringit miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat. Per Dominu &c.

Deinde pænitens dicat Confiteor. Superior vero dicat Indulentiam &c.

Ego authoritate DEI Omnipotentis & Sanctorum Apoſtolorum ejus Petri & Pauli, & Sanctiſsimi Domini noſtri Papæ N. mihi commiſſa abſolvo te â vinculo excommunicationis majoris vel minoris quam in curriſti & â ſententia Suſpenſionis & reſtituo te unitati Fratrum Noſtrorum & Sacramentis Eccleſiæ. In Nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spitritus ✠ Sancti, Amen.

Superior pro menſura delicti aſsignabit pænitentiam condignam pænitenti in quo illius conſcientia oneratur. Quo facto pænitens omnes Fratres humili inclinatione & amplexu conciliet locumq; ſuum accipiat in futurumq; deteriora caveat.

Forma Abſolutionis quando datur Indulgentia Plenaria.

MIſereatur. &c. Indulgentiam. &c. Ego Authoritate DEI

DEI Omnipotentis & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli & Sanctissimi Dñi Nostri Papæ N. tibi vel (vobis) concessa & mihi commissa absolvo te (vel vos) à vinculo Excommunicationis majoris vel minoris, si quam incurristi & à Sententia Suspensionis vel Interdicti & restituo te Vnitati Fratrum Nostrorum & Sanctorum Sacramentorum Ecclesiæ. In Nomine Patris, † & Filij, † & Spiritus † Sancti, Amen. Eadem Authoritate mihi concessa absolvo te ab omnibus peccatis tuis cum plenaria Indulgentia & remissione omnium peccatorum tuorum In Nomine Patris † & Filij † & Spiritus † S. Amen.

Forma Absolutionis Generalis Agonizantium.

DOminus Noster IESVS Christus per mèrita suæ Sacratissimæ Passionis te absolvat & gratiam suam tib infundat, & Ego Authoritate ipsius ac Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Summorum Pontificum mihi in hac parte commissa & tibi concessa absolvo te ab omni vinculo Excommunicationis majoris vel minoris & ab omni Sentẽtia Supensionis & Interdicti & dispenso tecum omni irregularitate si quam contraxisti & restituo te unioni & participationi. Fidelium, necnon Sanctorum Sacramentorum Ecclesiæ. Eadem Auhtoritate ego te absolvo ab omni transgressione votorum tui Ordinis, & Statutorum Papalium, Generalium, Provincialium, Custodialium, localium, Synodalium quorumcunquè. Ea-

dem Authoritate te abſolvo ab omni Divino Officio male perſoluto Horis indebite tranſpoſitis & prætermiſsis. Item eadem Authoritate Ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis, quibus contra DEVM fragilitate humanâ ignorantia vel malitia deliquiſti, concedens tibi remiſsionem & Indulgentiam plenariam omnium peccatorum confeſſorum & cunctorum de quibus etiam non recordaris, aut oblitus fuiſti, inqvantum claves Eccleſiæ ſe extendunt. Item eadem Authoritate Ego te abſolvo à pænis Purgatorij, quas pro peccatis commiſsis, & delictis in hoc mundo perpetratis meruiſti: reſtituendo te illi ſtatui Innocentiæ in quo eras quando baptizatus fuiſti. In Nomine Patris † & Filij † & Spiritus † S.

AMEN.

CONFIRMATIO CONSTITVTIONVM *ORDINIS FRATRVM* SNCTÆ MARIÆ

De Vrbe Demetri de Pænitentia BB. Martyrum:

SVB REGVLA

S. AVGVSTINI,

MILITANTIUM.

FRANCISCVS SIMONETA Comes, DEI & Apostolicæ Sedis Gratia, Episcopus Fulginatensis, ac Sanctissimi Domini nostri Pauli Divina providentia PAPÆ V. ipsius Sanctæ Sedis ad *Serenissimum* SIGISMVNDVM III. Poloniæ & Sveciæ Regem, ipsumq; Poloniæ Regnũ, & Magnum Ducatum Lithvaniæ cum facultatibus Legati de latere Nuncius. *Venerabilibus* Priori, cæterisq; Fratribus, tam Monasterij S. MARCI Cracoviensis quam aliorum Monasteriorum Ordinis Beatorum Martyrum Sanctæ MARIÆ Demetri de Vrbe sub Regula S. AVGVSTINI militantibus: Salutem in Domino, & sinceram Charitatem Legationis Nostræ Apostolicæ in hoc Inclyto Poloniæ Regno munus id potissimum requirit, quod solicitudinis Nostræ aciem eo dirigamus: & in Monasterijs, tam virorum quam Mulierum, cujuscunquè

Ordinis existant; nostræ Legationis subiectis recte, Sanctéq; vivatur. Legimus igitur diligentissiméq; considerávimus Constitutiones: sive ut vocant Regulam, quam in Capitulo Generali vestro Cracoviæ proxime celebrato, Vobis ipsis iussu nostro confecistis, ad laudabilem aliorum Religionum exemplum; & reperimus omnia, ut sapienter pieq; constituta: Sic vobis, si ea observaveritis conducibilia futura ac salutaria. Cum igitur nobis vestro omniū nomine in eodem Capitulo congregatorum humiliter supplicatum fuerit: ut sumptas Constitutiones omniaq; in eis contenta confirmare & approbare auctoritate Apostolica dignaremur. Nos qui iusta petentiū vota suscipimus vobis libenter annuimus, vos omnes & singulos à quibusvis excomunicationis, suspensionis & Interdicti: aliisq; Ecclesiasticis sentētiis Censuris; & pœnis, à jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis; Si quibus quomodolibet innodati existitis (dummodo in eis per annum non extiteritis) ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum seriè absolventes; & absolutos fore censentes. Hujusmodi supplicationibus inclinati, Auctoritate Apostolica Nobis concessa: & qua fungimur in hac parte, vigore nostrarum facultatum, ad quarum insertionem tenemur, supradictas Constitutiones: omniaq; & singula in eis contenta, à vobis omnibus & singulis in Capitulo prædicto, nobis & præsidentibus recepta, & approbata Confirmamus & approbamus, eisq; firmitatis Apostolicæ robur adiicimus, ac omnes & singulos: tam juris quam facti defectus; Si qui interve-

nerunt

nerunt, quomodolibet in eisdem, supplemus. Porro autem vos, & cæteros omnes Vestri Ordinis pro tempore existentes Fratres Hortamur in Domino & monemus: ut præfatas Constitutiones firmiter atque inviolabiliter observetis, ad DEI Gloriam, Ordinis vestri dignitatem, animarumq; vestrarum salutem: donec aliud à Sanctissimo Domino Nostro habueritis in mandatis. In quorum fidem & testimonium, præsentes fieri, & per Notarium infrascriptum Curiæ Nostræ subscribi mandavimus. Sigilliq; Nostri iussimus, & fecimus appensione muniri. Datum Vilnæ in Monasterio RR. Patrum Bernardinorum loco nostræ solitæ residentiæ. Die undecima Mensis Decembris. Millesimo Sexcentesimo Decimo. Pontificatus Prælibati Sanctissimi Domini Nostri. Anno Sexto.

FRANCISCUS SIMONETA
Episcopus Fulginatensis Nuncius Apost:

Tol: Bell: Aud;

To. DOMINICUS PESSIS.
Nott: & Act: de Man:

CONFIRMATIO CONSTITVTIONVM
Per Sacram Rotam Cardinalium.

SAcra Congregatio Cardinalium Negotijs Regularium præposita referente *Illustrissimo* Carapha censuit, posse expediri Confirmationem petitam. Dum modo tamen ad Capitulum *3tium* primæ par: dictarum Constitutionum sub Titulo de Confessione post illa verba. Etiam alterius Religionis, addatur. Approbatos tamen, ab Ordinario juxta dispositionem Sacri Concilij Tridentini Romæ Die 17. Iulij. A. D. 1612.

Antonius Corlis Saulius.

(L.S.)

An: Hortensius Secretarius.

CONSTANTINVS FELICIANVS

In SZANIAWY

SZANIAWSKI,

DEI & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Epiſcopus Cracovienſis Dux Severiæ,

Necnon Canonicorum Regularium S. MARIÆ Demetri ac BB. MM. de Pænitentiâ per Regnum Poloniæ, Bohemiæ & M. D. Lithvaniæ Præpoſitus Generalis.

VNiverſis, & Singulis quorum intereſt, ſignificamus, quia nos viſis & lectis introcontentis Conſtitutionibus Fratrum Canonicorum Regularium S. MARIÆ Demetri de Vrbe, BB. Martyrum de Pænitentia, poſt Regulam S. AVGVSTINI, quam profitentur, conſcriptis & per S. Congregationem Eminentiſsimorum Cardinalium negotijs Regularium præpoſitam, Sub Dat: Romæ Die 17. Iulij, Anno D. 1612. ut in ſuo monſtratum eſt Nobis Originali, approbatis, Eaſdem Auctoritate noſtrâ Ordinariâ, & eà, quâ vigore Prælationis Noſtræ fungimur, recognovimus, & quatenus ad uſum & utilitatem eam Religionem profitentium, tum & Regularem Obſervantiäm propagandam, & manutenendam, Typis mandari poſsint facultatem Conceſsimus. In quorum fidem &c. Dat. Cracoviæ, die 1. Iunij. A. D. 1731.

CONSTANTINVS FELICIANVS SZANIAWSKI, Epiſcp: Cracov:

(L.S.)

Cyprianus Langi U. J. D. in Eccl: Cath: Crac: Archidiaconatus Zavichoſten: Coadju: Can: Sandom: Curiæ ſuæ Illuſtr: Celſitudinis Actuarius, mp.

Misſio Fratrum Romam
Pro Approbatione Harum Conſtitutionum.

A. D. 1612. die 25. Menſis Aprilis.

NOs Fr. ALBINVS ZVCHOWSKI, Prior Generalis Ordinis Frâtrum de Pænitentia BB: MM. S. MARIÆ Demetri de Vrbe ſub Regula S. AVGVSTINI Militantium Teſtamur dediſſe Librum hunc Regulæ & Conſtitutionum Noſtrarum Fratribus ADAMO Cracovienſi. Actu Presbytero & DEMETRIO Accolyto ut à Sancta Romana Eccleſia & Sede Apoſtolica Confirmationem efficacem, & in toto jure Privilegiorũ. Ordo noſter obtineat. Quibus ut Fides adhibeatur. Sigillum Officij Noſtri Apponi curavimus & manu Noſtra ſubſcripſimus Die & Anno ut ſupra.

(L.S.)

Idem qui Supra
Fr. ALBINVS GENERALIS.

JULIUS II.
Servus Servorum DEI.

Ad perpetuam Rei memoriam.

LIcet ea, quæ per Sedem Apostolicam concessa, & providè facta fuerunt plenam obtineant roboris firmitatem, non nunquam tamen Romanus Pontifex ea libenter approbat, ut eò firmiùs illibata persistant, quo magis suô fuerint præsidiô communita, aliqua etiam de novo statuendo, prout in Domino conspicit salubriter expedire. Sanè pro parte dilecti Fi-

lij *Ioannis* Prioris Ecclesiæ Sanctæ MARIÆ Demetri de Vrbe Ordinis Sancti *AVGVSTINI*, & ejusdem Ordinis Generalis Nobis nuper exhibita petitio contiuebat, quod olim à Felicis recordationis BONIFACIO Papa VIII. Prædecessore Nostro emanârunt Literæ tenoris subsequentis. BONIFACIUS Episcopus Servus Servorum DEI. Dilectis Filijs Priori Ecclesiæ Sanctæ MARIÆ Demetri de Vrbe, & ejusdem Fratribus, tam præsentibus quam futuris Regularem vitam professis, in perpetuum Religiosam vitam eligentibus Apostolicū convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus eos à proposito revocet, aut robur quod absit, Sacræ Religionis infringat. Ea propter Dilecti in Domino Filij Vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam Sanctæ MARIÆ Demetri de Vrbe Abbatem proprium non habentem, sed per Priorem solitum gubernari in qua Divino estis Obsequio mancipati sub Beati PETRI & Nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti Privilegio communim⁹. Inprimis siquidem statuimus, ut Ordo Canonicus, qui secundum DEVM & Beati *AVGVSTINI* Regulam atq; Institutiononem Fratrum de Pœnitentia Beatorum Martyrum, in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunq; Possessiones & quæcunq; Bona, eadem Ecclesia in præsentiarum justè & Canonicè possidet, aut in futurum Concessione Pontificum, largitione Regum vel

Prin-

Principum, Oblatione Fidelium, seu alijs justis modis præstante Domino poterit adipisci firma Vobis Vestrisq; Successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfata Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentijs suis S. MARIÆ & S. ELISABETH in Ailesphet, & S. PETRI de Insula Cuamen, cum domibus, terris, Vineis, possessionibus, & omnibus pertinentijs eorum. In Civitate Pragensi Ecclesiam S. CRVCIS, cum Domibus, terris, & omnibus pertinentjs suis in Diœcesi Pragensi. Ecclesiam S. BARTHOLOMÆI in Pordabij, cum S. ÆGIDII & S. VENCESLAI in Elůbinek, Capellis, Domibus, terris, pratis, & omnibus pertinentijs. In eadem Diœcesi Ecclesiam S. MARIÆ in Orlycz, cum Villis, terris, molendinis, aquis, pratis, siluis, & omnibus pertinentijs suis. In Civitate Cracoviensi Ecclesiam S. MARCI, cum omnibus pertinentijs suis. Et in Diœcesi Cracoviensi Ecclesiam S. MARGARETHÆ in Libichowa, cum terris, molendinis, aquis, pratis, siluis, & omnibus pertinentijs suis, & alias terras, possessiones, reditus, & quidquid Iuris prædictis Civitatibus & Diœcesi Ecclesia Vestra noscitur obtinere, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usuagijs, & pascuis, & in lusco & in plano in aquis, & molendinis, in vijs, & semitis, & in omnibus alijs libertatibus, & immunitatibus suis: sive novalium Vestrorum quæ proprijs sumptibus colitis, de quibus hactenus aliquis non percepit, sive Domorum animalium nu-

 tri;

trimentis, nullus à Vobis Decimas exigere vel extorquere præſumat. Liceat quoq; Vobis Clericos vel Laicos liberos, & abſolutos à ſæculo fugientes, ad Converſionẽ recipere, & eos absq; Contradictione aliqua retinere. Prohibemus inſuper, ut nulli Fratrum prædictorum poſt factam in Eccleſia Veſtra profeſsionem, fas ſit ſine Prioris Sui licentia, de eodem loco niſi arctioris Religionis obtentâ diſcedere, diſcedentem vero absq; Communi Literarum Veſtrarum Cautione, nullus audeat retinere. Cum autem generale Interdictum terræ fuerit, liceat Vobis clauſis januis, excluſis Excommunicatis, & interdictis, non pulſatis campanis, depreſſa voce Divina Officia celebrare, dũ modo Cauſam nõ dederitis interdicto. Chriſma vero, Oleum Sacrum, Conſecrationes Altarium, ſeu Baſilicarum Ordinationes Clericorum, qui ad Ordines promovendi fuerint à Diœceſano ſuſcipietis Epiſcopo. Si quidem Catholicus fuerit & gratiam, & Communionem Sacroſanctæ Romanæ Sedis habuerit, & ea Vobis voluerit ſine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus inſuper ut infra fines Parochiæ Veſtræ ſi eam habetis, nullus ſine aſſenſu Diœceſani Epiſcopi & Veſtro Capellam ſivè Oratorium de novo conſtituere audeat, ſalvis Privilegijs Romanorum Pontificum. Ad hæc novas & indebitas Exactiones ab Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, Archi-Diaconis, ſeu Decanis; alijsq; Omnibus Eccleſiaſticis Sæcularibuſve Perſonis, à Vobis omninò fieri prohibemus. Sepulturam quoq; ipſius loci liberam eſſe decernimus.

Vt

Vt eorum Devotioni & Extremæ Voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè Excommunicati vel Interdicti sint, aut publici Vsurarij nullus obsistat salva tamen justitia illarum Ecclesiarum à quibus Corpora mortuorum assumuntur. Decimas præterea & possessiones ad Ius Ecclesiarum Vestrarum spectantes, quæ à Laicis detinentur redimendi, & legitimè liberandi de manibus eorum, & ad Ecclesias ad quas pertinent revocandi, sit libera Vobis de nostra Authoritate facultas. Obeunte vero Te nùnc ejusdem loci Priore, vel Tuorum quorumlibet Successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutiâ seu violentia præponatur, nisi quem Fratres communi Consensu, vel eorum major pars Consilij sanioris si ad eos duntaxat Prioris spectat Electio, secundum D E V M & Beati *AVGVSTINI* Regulam providerit eligendum, Paci quoq; & tranquillitati Vestræ Paterna in posterùm sollicitudine providere volentes, Authoritate Apostolica prohibemus, ut intra Clausuras locorum, seu Grangiarum Vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sangvinem fundere hominem temerè capere, vel interficere seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes Libertates & Immunitates à Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus Ecclesiæ Vestræ Concessas, nec non Libertates & Exemptiones Sæcularium Exactionum, à Regibus & Principibus vel alijs Fidelibus rationabiliter Vobis indultas Authoritate Apostolicâ confirma-

 mus,

mus, & præſentis ſcripti Privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omninò hominum liceat præfatam Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus poſſeſsiones auferre vel ablatas retinere, minimè ſeu quibuſdam vexationibus fatigare, ſed omnia integrè conſerventur. Eorum pro quorum gubernatione, ac ſuſtentatione conceſſa ſunt uſibus Omnimodis profutura ſalvâ Sedis Apoſtolicæ & Diœceſanorum Epiſcoporum Canonicâ juſtitiâ. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica Sæcularisvè hanc noſtræ Conſtitutionis Paginam ſciens contra eam temerè venire temptaverit ſecundò, tertiò commonita niſi reatum ſuum congruâ ſatisfactione correxerit, poteſtatis honorisq; ſui careat dignitate, reumq; ſe Iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à Sacratiſsimo Corpore & Sangvine D E I & Domini Redemptoris Noſtri IESV C H R I S T I aliena fiet, atq; in Extremo Examine diſtrictæ ſubiaceat Vltioni. Cunctis autem eidem loco ſua Iura ſervantibus ſit Pax Domini Noſtri IESV CHRISTI, quatenus & hìc fructum bonum percipiant, & apud Diſtrictum Iudicem præmia æternæ pacis inveniant Amen, Amen. Datum Romæ apud Sanctum PETRVM per manum Magiſtri Petri de Piperno Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarium, Decimo Octavo Calend: Ianuarij, Indictione nonâ, Incarnationis Dominicæ Annô milleſimô ducenteſimô nonageſimo quintô. Pontificatûs Noſtri Primo Annô, prout

in

in quodam transſumpto dictarum Literarum. Cum Literæ Originales Præfati Bonifacij Prædeceſſoris propter antiquitatem temporis reperiri non valerent, continetur. Et ſicut eadem petitio ſubjungebat licet ſi de dicta Eccleſia Beatæ M A R I Æ Demetri de Vrbe præterquam per dictum transſumptum nulla penitus notitia habeatur, & locus ubi dicta Eccleſia fundata fuerat non reperiatur, nihilominus ipſe Generalis Prior præfati Ordinis in Partibus Poloniæ tàm prædicta ſeu illorum majorem Partem in dicto transſumpto annotata & deſcripta quàm non nulla alia, bona, Eccleſias, Monaſteria poſt dictas Literas pro præfato Ordine licitè acquiſita quæ præſentibus ſub proprijs vocabulis duximus nominanda. Videlicet Eccleſiam & Monaſterium Sanctæ C R V C I S in Byſtrzyca in Ducatu Lithvaniæ, Eccleſiam & Monaſterium Sanctæ T R I N I T A T I S in Międniki, Eccleſiam & Monaſterium Sanctæ TRINITATIS in Twerecz Vilnenſis Diœceſis, tùm dicto Ordini ſubiecta & ab obtinentibus ea obedientiam & reverentiam debitam, & devotam ſemper præſtari obtinuit. Quare pro parte dicti Generalis Prioris aſſerentis, quod hujuſmodi tranſumptum à tanto tempore citra cujus initij memoria non exiſtit, in contrarium fuit pro Authentico obſervatum, quodq; etiam Eccleſiæ Monaſteria & loca omnia prædicta, & Fratres illa Obtinentes, ſimiliter eidem Generali Priori

ri pro tempore existenti à decem viginti quinquaginta & centum annis, & per dictum tempus subiecta fuerunt, & illa Obtinentes sibi Obedientiam præstiterunt, & præstari consveverunt. Nobis fuit humiliter supplicatum ut dicto transumpto fidem adhibendam fore decernere, ac Omnibus & singulis in eo Contentis ac alijs præmissis Clausulis, & Concessionibus Apostolicæ Approbationis robur adijcere ut quod tàm in prædicto transumpto descripta quam alia Monasteria, Ecclesiæ, & loca ut præmittitur nominata sicut hactenus dicto Generali subijci consveverunt, de cætero subiecta esse debere, & illa pro tempore Obtinentes sibi obedientiam præstare teneantur statuere & ordinare aliasq; in præmissis opportunè prævidere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos qui locorum piorum quorumlibet commodum & Vtilitatem sinceris desiderijs exoptamus, eorumq; decori & honestati nec non prædicti Prioris & pro tempore præfati Ordinis existentis Generalis quieti, & tranqillitati Paterna caritate consulere volentes, Ipsumque *Ioannem* Modernum Priorem Generalem à quibusuis Excomunicationis suspensionis, & Interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, Censuris, & pœnis à Iure vel ab homine quavis occasione vel Causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum Præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus incli-

clinati Volumus & Apostolicâ auctoritate decernimus, de cætero perpetuis temporibus dicto transumpto plenam & indubiam fidem adhibendam fore & illud ab Omnibus pro Authentico haberi teneri & reputari debere, ac omnia & singula in dicto transumpto Contenta, quatenus sint in usu dicta Authoritate approbamus, & confirmamus ac perpetuæ firmitatis robur obtinere decernimus, ac quodq; tàm in prædicto transumpto descripta, quam postmodum ut præfertur acquisita Ecclesiæ, Monasteria, & loca prædicta specificè nominata, prout hactenùs dicti Ordinis Generali subijci consveverunt, ita de cætero perpetuis futuris temporibus subjecta esse. Quodque illa pro tempore obtinentes prædicto *Ioanni* moderno & pro tempore existenti dicti Ordinis Generali Priori obedientiam & reverentiam in perpetuum præstare debeant, statuimus & ordinamus per præsentes non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis ac Privilegijs & Indultis cujusvis alterius Ordinis, etiam Iuramento Confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis, Contrarijs quibuscunq;. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ Absolutionis Voluntatis, Approbationis, Confirmationis Constitutionis, Statuti, & Ordinationis, infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Indignationē Omnipotentis DEI ac Beatorum PETRI & PAV-

LI Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum PETRVM Annô Incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo Septimo Quinto Calend: Iunij Pontificatûs Nostri Annô Quarto.

Lx A. Vujes. P. focno V. D. Phano. p. planol. A. Cianadri Camillotus Ta de Bossis. M. de Gerardis A. Caldes.

ET quia Ego ALBERTUS olim MATTHIÆ GORZKIEWIC Public⁹ S. Authoritate Aplica Notari⁹, Præsentes Copias cum suo vero Originali & Auhentico in Pargameno scripto, non raso, non cancellato, sigillo plumbeo in filo sericeo affixo, signum SS. PETRI & PAVLI Apostolorum repræsesentanti communito, fideliter collatio navi, & de verbo ad verbum concordare feci, ideo præsens Instrumentum, manu licet aliena, mihi tamen bene nota subscripsi, signoq; nomine ac cognomine meis proprijs quibus in talibus utor communitum, dedi & extradidi rogatus & requisitus Instrumentum.

Annô

ANnô Domini 1722. Die 14. Martij, Præſentes Copias à præfato Notario cum ſuo Originali collationatas Fel: Record: Ssmi Dñi Noſtri *IVLII II.* coram nobis CONSTANTINO CASIMIRO BRZOSTOWSKI, DEI, & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Epiſcopo Vilnenſi productas, vidimus, legimus, ac eaſdem Typis mandari Authoritate quâ fungimur, tanquam Generalis Sac: Ord: Canon: Regul: BB. MM. de Pœnit: S. MARIÆ Demetri de Vrbe concedimus. Datum in Arce Werkovienſi Año Die Menſe quibus ſupra.

CONSTANTINVS CASIMIRVS BRZOSTOWSKI, Epiſcopus Vilnenſis, Sac: Ord: Canon: Regul: BB. MM. de Pœnit: prout ſupra Generalis

mpp.

Laudetur Jesus Christus.

CONSTANTINVS FELICIANVS

In SZANIAWY

SZANIAWSKI,

DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopus Cracoviensis, Dux Severiæ, Totius Ordinis Canonicorum Regularium B. MARIÆ Demetri de Vrbe BB. MM. de Pœnitentia

PRÆPOSITVS GENERALIS.

UNiversis & singulis quorũ interest significamus, quia Nos visô & lecto supra descripto Transumpto Literarum Apostolicarum Fel: Record: IVLII Papæ II. ex suo Originali, quod Nobis fuit præsentatum, exemplificato, illud juxta suum tenorem, vim & obloquentiam, Authoritate Nostra Ordinaria, & eâ quâ fungimur, recognovimus, ac ut Typis mandari possit facultatem concessimus. In quorũ fidem Datum Cracoviæ Die 15. Maij 1730.

CONSTANTINVS Episcopus Cracoviensis mpp.

(Locus † Sigilli.)

Justi servis et prudens, quem constituet Dominus super familiam suam.